



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De S. Arnulpho episcopo Suessionensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

Hierotheu
dicit.

narum virium: post Theologos, ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui planè excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea, quam hymnis celebrabat, afficeretur societate & communione, & ab omnibus, à quibus audiebatur & videbatur, & cognoscebatur, & non cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorum. Et quid tibi amplius dixerim de ijs, quæ illic diuine dicta sunt: Et enim nisi mei quoque sum oblitus, scio me sapius, multosque alios à te audisse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Hæc cum audissent Imperatores, petierunt ab ipso Archiepiscopo Iuuenale, vt sanctus ille oculus cum vestibus clarissima & sanctissima Deiparæ Mariæ, sigillo munitus, ad eos mitteretur. Quæ cum missa fuissent, ea deposuerunt in veneranda æde, quæ ædificata fuerat in Blachernis. Et hæc quidem sic.

Cap. 20.

Quid nos autem dixerimus sepulcro? Tua quidem gratia est perennis, nec vnquam deficit. Sed non diuina virtus ijs circumscribitur, neque Dei matris beneficia habitant in solo monumento. Si enim solo sepulcro circumscriberentur, donum paucis supereretur diuinitus. Nunc autem in omnibus mundi finibus est abundè distributum. Nostram ergò memoriam efficiamus repositorium Deiparæ. Hoc verò quomodo erit? Ea fuit virgo, & amatrix virginum: Ea fuit casta, & amatrix castorum. Si ergò cum corpore mentem quoque castam habuerimus, inhabitantem eius gratiâ possidebimus. Fugit enim omnem limum, & omnes cœnolos declinat animi motus. Abhorret ingluuiem turpissimæ fornicationis, infesta est vitij, ac execrandas eius cogitationes fugit, tanquam fœtus viperarum. Turpia verba & scurrilia repellit, cantica & vnguenta meretricia rejicit. Odit iræ tumores, inhumanitatem, & inuidiam, & lites non admittit. Auerfatur vanam gloriam, quæ ponit studium in rebus inanibus. Ampullis superbiæ hostiliter aduersatur. Odium & iniuriæ acceptæ recordationem odit, vt salutis aduersariam. Omne vitium reputat, tanquam virus lethiferum. Delectatur autem horum contrarijs. Contraria enim contrarijs curantur. Iucundum est ei ieiunium, & continentia, & Psalmorum cantica. Castitati & virginitati, moderationi; & temperantiæ assentitur, & cum eis pacem agit perpetuam, & eas benignè amplectitur. Moderatum & mansuetum diligit & fouet animum. Charitatem & misericordiam & humilitatem in honore habet, tanquam suas nutrices. Et (vt semel dicam) molestum quidem est ei omne vitium: omni autem virtute delectatur, vt quæ sit ei nota & familiaris. Si ergò quæ prius quidem dicta sunt, omni animi impetu declinauerimus: virtutes autem omni studio dilexerimus, & eas habuerimus nobis familiares, veniet frequenter ad suos famulos, omnium bonorum cœtum secum simul attrahens: & Christum suum filium, & omnium Regem & Dominum vnâ assumet, vt in nostris cordibus inhabitet: Cui gloria, honor, potentia, maiestas & magnificentia, cum patre principij experte, & sanctissimo & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

S. Maria q̄
amet, & odec
rit in nobis.

Contraria
contrarijs
curantur.

VITA S. ARNVLPHI SVESSIONENSIS EPI,
SCOPI, AVTHORE LISIARDO, EIVS SVCCES-
sore Episcopo: Cuius sermo, nè eruditos Lectores offenderet, per F. Laur.
Surium passim nonnihil expolitus est: modestè tamen pro-
pter authoris reuerentiam.

Prologus Authoris ad Radulphum Rbemensem Archiepiscopum.



Venerabili & charissimo patri & domino Radulpho, Dei gratia sanctæ Rhemensis ecclesiæ Archiepiscopo, omnium Episcoporum infimus Lisiardus salutem, & omnium bonorum plenitudinem. Frequens & celebris te videndi & audiendi vsus multis patefecit, & in ijs etiam mihi, scientiæ tuæ pelagus immensum, eximiam prudentiam, & in omnibus moderationem & discretionem, amorem quoque & studium prouehendæ sanctæ Ecclesiæ, atque in corrigendis*, disciplinæ tenorem. Itaque tot virtutum tuarum adminiculis fretus, veridicorum etiam testium multiplici ac diuturna relatione informatus, rerum quoque magnitudine incitatus, ausus fui imperitus opusculum conscribendum suscipere,

cipere, quod doctis scriptoribus merito seruari oporteret: non tamen elationis typho, sed vtilitatis causa permotus, vt mea exiguitatis opera vtcunquē in publicum proferrentur magna opera Dei, quae sapientes & docti hactenus à profundo silentio & hominum obliuione vindicare neglexerunt. Cum autem ad haec pro viribus exaranda animum intenderem, palpitabam (fateor) praepauore: sed cum accuratius pensitarem, illum timorem meum fore vtilitati fraternae obstaculo, referebam animum ad tuae moderationis contemplationem, sciens proculdubio facile veniam patere temeritati, quae accidit germanae charitati inseruire cupienti. Det itaque tua Paternitas veniam praesumptori, qui hoc conatu per omnia tuo studuit seruire decori. Det tua auctoritas gratiam & pondus isthaec propalanti, ne pro sua vilitate rubore afficiatur. De veritate horum, quae dicturi sumus, nulla cuiusquam mens ambigat: quippe cum ea tam diligenter inquisita, & ad liquidum comperta sint ab ijs, qui interseruerunt, vt certo constet, omnia esse verissima. Et quia mihi per placet ante omnia te in id intentum esse, vt Ecclesia prouehatur, quicquid in his minus compta prolatum erit, tuae tuorumque sapientiae cura sit, vt nobili Rhemensis, eloquij acumine elimetur, quod mea socordia mansit impolitum. Vitae igitur sanctitatem & virtutum opera, quae Christus Dominus modernis temporibus militi suo Arnulpho largitus est, vel aliqua ex parte narraturus, omnium bonorum artificem inuoco Spiritum paraclitum, vt ad ea referenda benignus repleat os meum laude sua, qui, vt ea efficeret, huius serui sui praecordia sua luce illustrauit.

Typhus, pro
superbia &
facta, fre-
quens est
apud S. An-
gustinum,

VITAE HISTORIA.

De patria S. Arnulphi, & praesagij ortus eius. Cap. I.



ER id tempus, quo Flandria regio, Balduini Comitis & Adelae coniugis eius, regimine ornabatur, regnum Francorum moderate Henrico filio Roberti, & apud Anglos regnante Eduardo pio Rege, fuit vir nobilis, Fulbertus nomine, in pago Brabantiae apud fluuium Scaldem in villa, quam vocant Thidengem, qui non solum genere, sed etiam mundanarum rerum copia locuples, inter ceteros contreraneos & animo & carne modis omnibus eminebat.

Augusti 15.

Patria & parentes S. Arnulphi.

Porrò nobiliū more, digno matrimonio inito, ex nobilissima coniuge * Meinsinde filium elegantem sustulit.

* Mansuetudo

Is iam adultus, & armis gestandis aptissimus, ex hac luce est substractus. Eius verò mors grauissimum parenti vtrique omnique familiae dolorem attulit, ita vt toto anno illum plangerent sine intermissione. Iam menses aliquot in illo dolore consumpti erant, cum ecce in somnis apparet illi matronae vir speciosus, & multa luce splendidus, ita dicens ad eam: Quid ita te ipsam moerore afficis, & tristitia deprimis propter filium, tam vtiliter mortuum? Quem si vitalem spiritum ex te accepisse nosset, non immerito lugeres à te factum & conditum. At nunc, quando eum supernus conditor incomprehensio quidem, sed tamen aequissimo iudicio ex hac vita sustulit, quo pacto lugere ausa es? Quod si vitae illi spatia suppeditassent, praedo lubricus reuera fuisset. Nullum igitur propter eius obitum deinceps tuo cordi patiaris inesse dolorem: immò verò summoperè exultes, quòd in vtero gestes puerum, qui superna praedestinatione magnus est futurus. Quem vbi in lucem protuleris, Christophorum vocari curabis: quandoquidem reuera in hoc ille destinatus est, vt verbis & factis suo in pectore Christum ferat. Et vt certo noveris haec ita diuinitus praefinita, abi ad ecclesiam, & eo loco, quo soles orare, fodi iubeas. Humo fossa, inuenies lapidem, in quo grandibus literis insculpta cernes, quae tibi filij tui & nomen & meritum prodant. Matrona tantae laudis percepto oraculo, summo manè euigilans, cum ingenti stupore & mirabili gaudio visionem narravit marito: atque vt caelestium verborum probaret fidem, assumpsit famulos, & abiens ad ecclesiam, eo loco, vbi preces facere solita erat, fodere coepit: & ecce lapidem quadratum inuenit, in eoque profunde Christophori nomen exaratum. Eo reperto, maiori est affecta laetitia, & securam iam de prolis sanctitate, quam antea nescierat se concepisse, alacriter expectabat diuinæ operationis munus tam praclarum. Indè opportuno tempore peperit filium

Visio matris eius.

Multi disputatione diuina ex hoc seculo rapiuntur, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut fictio deciperet animam illorum vt Sap. 4. dicitur.

S. Arnulphi ortus.

diuinitus promissum, cum multo gaudio patris & propinquorum, eumque de sacro fonte suscipiendum direxerunt pro more ad Arnulphum Aldenardensem, virum diuinitis & potentia insignem. Is hilariter excipiens infantem, festinauit impertiri illi sacrum regenerationis lauacrum. Porro præ nimio propinquitatis amore & fastu quodam, non permisit eum Christophorum vocari, sed voluit à se Arnulphum dici. Etsi autem non accepit nomen Christophori, at virtus tamen Christum ferendi, in dies in illo excreuit. Cum enim studiosè & accuratè satis nutritur, die quodam superuenit peregrinus, multa canitie conspersus: qui infantulo benedicens, & quasi balba locutione alludens, ait ad nutricem eius: Hunc paruulū magno studio & summa munditia enutrito: Christus enim Dominus cor eius inhabitaturus, virtutè operum suorum per eum populo suo annunciare decreuit. Tantis igitur ac talibus auspicijs, agente Deo, merita illius & futura gloria declarabantur ac propalabantur, & antè, quàm faceret opera Domini, iam qui facturus erat, diuini fauoris laude & laudabili fama anticipabatur.

Eremita de eo vaticinium.

De eius præclara iuuentute, & armorum strenuitate. Cap. 2.

Aldultus verò, cœpit esse blandus alloquio, acutus ingenio, promptus obsequio, opere alacer, efficax & fortissimus membrorum robore. Tanta sanè virium excellentia & corporis agilitate eminebat, vt quatuor aut quinque coætanorum vires excederet, ita vt omnes eum fortem Arnulphum nominarent. Et pater quidem ac mater cupiebant illum tradere studio literarum, sed propinqui summoperè illis resistebant, maximè verò supradictus Aldenardensis Arnulphus, ex paterno sanguine cognatus. Eius enim materna prosapia ex Comitum genere deriuabatur, nempe Ducis Louanienfis & Comitum Namurcensis, Lofnensis, Dufacensis atque Montensis. Tanta nobilitate ornatus Arnulphus Christophorus, (Sic enim eum mater ex diuina sponfione máluit appellare) quicquid in se habuit elegantie & splendoris, totum appetijt in Dei famulatum redigere. Optabant verò propinqui eius in bellicis rebus illum habere tyronem potius, quàm gradibus ecclesiasticis accommodatum. Ità factum est, vt secularis militiæ cingulum cum multa cognatorum exultatione acciperet, spiritalia arma postmodum viriliter correpturus. Itaque pro voto amicorum & nobilium consuetudine militiæ arreptis signis, pietatis opera exercere studuit, pius in subditos, erga pauperes profusus, in iudicijs rectus simul & misericors, auscultandis diuinis officijs maximoperè intentus, in amandis paribus mirè gratus, in Deo more firmus, erga parentes honorandos valdè sollicitus, & apud omnes, qui illum nouerant, gratiosus & charus.

Militiæ datur operam.

Eius virtutes.

De quibusdam ab eo fortiter gestis. Cap. 3.

Ad ostendendam corporalem eius fortitudinem licet plura suppetant, nos tamen non nisi duo succinctè expediemus. Cum enim opera Domini vniuersa sint bona valdè, illius quoque roboris seu virtutis cognitio, materia erit laudis Dei, qui eam illi contulit: simul etiam accedet ad cumulum gloriæ sancti huius, qui ea non ad mundi vanitates & insanias falsas, cum posset, abusus est: sed contemptor eius, & quæ ex illa comparatur, mundanæ gloriæ, totus ad Dominum conuersus est. Enimverò in sanctis etiam corporalia Dei dona prædicantur, nobilitas commendatur, opulencia extollitur: non quòd hæc beatitudinem illis contulerint, sed quòd eorum contemptu, quibus ad malum potenter abuti poterant, sed noluerunt, gloriosiores & illustriores euaserint. In aula igitur Imperatoris apud Traiectum frequens erat conuentus secularium, mundano fastu tumentium, & in ijs Comes Flandria, inter præcipuos summus. Is cum exoccupatus quibusdam hora opportuna occurreret, vt iuuenilis feruor assolet pro captando inani fauore mira facilitate agi, exurgit hinc inde militaris cohors, iactandisque lanceis non sine virium attenuatione alius alium vincere summoperè contendebat. Inter hos conatus animosi & audaces arcus frangunt, & Imperatorijs militibus, in hoc conflictu ferè superioribus, dum Flandrenses nihil egregium, quod celebris eorum virtutis quoddam esset probamentum siue documentum, efficiunt, parùm absunt ab opprobrio & ignominia. Aderat tum in comitatu Flandrensi vir egregius Arnulphus, qui ætate quidem iuuenis, sed fenili prudentia & grauitate pollens, nulla instar illorum leuitate mouebatur. Quidam igitur virtutis eius, cui nulla in Germanorum regno comparari poterat, concij, ipsum adeunt, & vt ludicro certamini apponat manū, non tam rogant, quàm cogunt. Addun-

Eccli. 39.

Grauitas eius inter sodales leues.

Adduntur precibus præcepta maiorum & seniorum: quibus ille coactus, in re etsi ipsi nihil profutura, non tamen quicquam nocitura, obedientiam pertinaciter negare, frivolum ducens, lignum, quod in vertice mali positum, velum continet, afferri curavit. Allato ligno, quod lanceis multo & longius & crassius esset, ille cunctis stupefactis assurgit, & molem illam atque pondus potius, quam lanceam, vi multa concutiens, procul conijcit. Mox strepitus & clamor omnium in laudem viri exiit, & Flandrensibus eo in ludo sine vilo periculo victoria cedit. Nam iuxta illud Poëta:

Ludus enim genuit trepidum certamen & iram:
Ira truces inimicitias & funebre bellum.

Eiusmodi in aulis Regis fiebant conflictationes, ioco quidem initio susceptæ, sed per sæpè in luctum & homicidia desinentes. Quod idem profecto leuibus hominibus & mutuo tumore inflatis facile etiam hinc evenire potuisset, si non hunc ludum vir virtutis Arnulphus diremisset.

De fœni plaustro, facile loco moto. Cap. 4.

CUM seniore suo Arnulpho Aldenardensi quandoquæ, ut crebro solebat, proficiscens, ad iter arctissimum pervenit, ubi plaustrum fœno onustum viæ angustias occupans, omnem transitum prohibebat. Itaque socijs eius alio se conferentibus, solus cum armigero suo mansit illic, partemque fœni in terram abijcens, & aliam tum plaustro manu sustollens, in eum locum, quem vepres & spinæ obsidebant, & iter angustum efficiebant, longiusculè transposuit, atque ita viæ obstacula iter agentibus, non minus facile, quam benignè, amovit.

Monet loco
fœni plau-
strum.

De eius conversione. Cap. 5.

OMNIA ille militia exercitia & studia percurrit, Imperatorijs atque Regijs bellis interfuit, Flandriæ & Brabantiae lites & rixas compescuit: rectis & probis omnibus ubique charus & amabilis, pravis & improbis terribilis & intus. Nam ut erat validus & formidabilis ad exercendam vindictam: ita ediversò pro causarum ratione & merito, pro loco & tempore, mitis erat & profusus ad clementiam. Sed cum tot & tanta virtutum germina, quæ diuina in illo gratia seminaverat, non possent vberes proferre fructus, neque sese diffundere, terrena militia illum retardante, salutarium apud se consilio statuit laborem & curas militiae in aliquid melius commutare, unde illa posset stipendia expectare, quæ vitæ & laudis nullum sentirent finem. Itaque convocatis duobus armigeris suis, iubet quamprimum omnia armorum genera expediti, ut cum eximio ornatu & pompa, Francorum Regis aulam possit adire. Parent armigeri imperanti, præparant equos, arma componunt, omniaque strenuo milite digna comparant. Tum Arnulphus matri valedicens, (iam enim pater obiërat) arripit iter versus Franciam: & neglecta Regis Philippi aula, festinus expetit ecclesiam almi confessoris Medardi, quæ est sita apud muros urbis Sueffionensis. Erat tunc in illo monasterio præclara monachorum congregatio, quorum honesta celebrabatur institutio, digna Deo immolans laudum sacrificia sub Abbate Reinaldo. Eius loci fratres prudentes, & tum diuina, tum humana solertia præditi, coram Deo & hominibus cum Apostolo bona providentes, (Neque enim esse poterant moribus incul ti, qui totius Franciæ & Romanæ atque Rhemensis curiæ crebra visitatione afficerentur) Arnulphum deuotione præcipua ad Christum properantem, ita ut par erat excipiunt, atque militiae cingulum respuentem, armaque cum vestibus cultissimis, quas attulerat, ecclesiæ conferentem, tondent, & tonsuræ habitu regulari & Crucis Christi mortificatione induunt. Iam verò monachum effectum, & re vera huic mundo crucifixum, literis erudiunt, legibus & præceptis Dominicis informant, cunctisque monasticis sanctionibus imbuunt: quæ ille omnia in interioris hominis cella adeò recodidit, ut femina verbi Dei nec secus viam, nec in petrosa, nec inter spinas cecidisset, sequens eius via prodiderit.

Quantæ fu-
erit mita-
tis, & cle-
mentia.

Insigne mo-
nasterii S.
Medardi.

Rom. II.

Tòdetur S.
Arnulphus,
& fit mona-
chus.

Matth. 11.

De obedientia eius & vite austeritate. Cap. 6.

IAM annum cursum in regulari tramite exegerat, & propter eius animi deuotionem & obedientiam probationem, iniungitur ei cura elemosinæ præstandæ, & alendorum pauperum sollicitudo. Dignum planè erat, ut ei cura egenorum demandaretur, qui misericordiæ visceribus afflueret, & liberalis per omnia haberetur. Huius ministerij causa

causa cum quadam die predium illi charitati deputatum solus inuiferet, canes omnes pagi adiacentis in eum subito insilierunt, dentibus rabidis illum dilacerare cupientes. Quibus ille manu extensa innuit, ut ipsum sequerentur. Parent canes, & rabiem in obsequium mutant, ei se comites placidos præbent: & quandiu illic mansit, cum illo manserunt, tandem que illo reuertente redierunt, nec aliquem, eo presente, morsu vel latratu infectati sunt. Cœpit interea multa se carnis mortificatione constringere, vigilijs & ieiunijs operam dare, in preces prolixas cum lachrymis incumbere, atque in omnibus probabilem se exhibere. Atque ut funditus risum omnem & lartia mundana motus comprimeret, asperrimo & nodoso tribuli ramo corpus sub veste cinxit, membra viriliter lacerans, & mentem ad cœlestia dirigens, at nihilo minus vultum hilarem & iucundum omnibus exhibens. Quodam die in conuentu fratrum quippiam prolocuturus, non potuit more Francorum exactè verbum exprimere. Dixit ergo ei Abbas, ut ad horam sileret, nè utilitas causa differretur, si latius indè tractatum esset. Quod silendi mandatum ille corde simplici & verè obediencie zelo per menses aliquot obseruauit, nulli verbum proferens, nulli reddens responsum, donec à fratribus nunciatum est Abbati, eum prorsus obmutuisse. Abbas ergo eum ad se vocans, perquirensque cur sic perpetuò taceret, audit ab eo, diuturni causam silentij fuisse, quod ipse eum tacere iussisset. Admirans Abbas renouatam in eo Pauli eremita simplicitatem, gratulansque ei, quod tanto esset erga obedientiam præstandam feruore, præcepit, ut ædificationis causa interdum fratribus officium mutua colloca- tionis exhiberet.

De monacho solitario vel incluso, qui ei post obitum apparuit: & ut ipse ei successerit, multique eius exemplo conuersi sint. Cap. 7.

Ereboldus
vir sanctissi-
mus.

IN illo monasterio per id tempus monachus erat Ereboldus, causa amoris Dei in- clusus vel solitarie degens. Is è Flandria ortus, duram & asperam agebat poeniten- tiam, diuinæ contemplationi perpetuò inhærens. Ei autem Arnulphus sollicitè inter- uiebat: non quòd deesset famulantium copia, sed vt ex eius longa consuetudine & familiaritate, religiosè viuendi ab illo exempla hauriret. Cùm autem post multos continentia agones ille ad vitæ mortalis finem tenderet, viribus corporis admodum cœpit destitui, & multo angore premi & vrgeri. Rogauit ergo amabilem Arnul- phum, ipsi indefessè ministrantem, ut parum lactis adferret, quo imbecille corpus vel ad punctum refocillaret. Arnulphus ocyus id exequi volens, tulit panem vnum ex ijs, qui erant pauperibus destinati, emit lac, & obtulit seruo Dei. Sumpsit ille, sed parum indè profecit. Nam & morbus & ætas grauiter illum premebant: immò verò dispensatio cœlestis ad requiem capeffendam prolixioribus flagellis adaptabat. Fla- gellat enim Dominus omnè filium, quem recipit. Oravit ergo eum Christi miles Ar- nulphus, vt post obitum suum quo in loco & statu anima eius esset, ipsi reuelaret. Ille verò, quod fidei calore eum petere nouerat, se facturū fideliter promisit. Cum quædam seculo emigrasset, iuxta promissionem seruo Dei Arnulpho iucundâ de se præbuit vi- sionem, alacrem & gaudentē, beatęque requiei se compositè blandissimè demonstras. Ait aut ad eum Arnulphus: Quid agis, pater, & quomodo habes? Poenam ne aliquam culpæ alicuius pertulisti? Ille respondit: Lactis illius causa, quod tu mihi ministrasti, & ego comedi, nonnihil poenarum perpeffus sum, quòd illud lac pauperum substantia cõparaffes. Sed tum hoc, tum cætera peccata omnia mihi remissa sunt, & nunc fruor gaudijs beatorum. Hac visione venerabilis Arnulphus admodum inflammatus est ad diuinæ seruitutis studiū & cultum, nec deinceps cessauit à precibus, donè impetraret quod oprabat, vt possèt eandem secreta conuersationis rationē sectari, & ita incluso degere. Eo autē potitus desiderio, factus est Christi bonus odor in omni loco, & eius exemplo prouocati multi in propinquis & longinquis locis, monastica conuersationem certatim expetebant. Eodem enim tēpore Theobaldus nobilis adolescens, eius exemplo incitatus, clam fugiens sodales suos, exul & inops Domino militauit, & la- borum præmia atq; coronam breui assècurus, victoriam, qua nunc fruitur, multorum mentibus affixit. Et quis, oro, audiens Arnulphum, nupèr præpotentem militem ac valdè celebrem, mundi pompam respuisse, non continuò mundi à se amorē omnem abiciat? Quis satis mirari possit, hominē genere nobilem, amicis præpotentibus ful- tum, statura procèrum, vultu decorum, cui mundus applauderet, cui omnis mundi gloria faueret, tam repenti conuersum, vt à summis diuitijs ad infimā paupertatem deductus,

Prouer. 3.
Heb. 3.

S. Arnulph⁹
degit inclu-
sus.

Mira eius
conuersio.

deductus, Christi amore seipsum planè contemneret & abijceret? Multi sanè è Brabantia & Flandria tam Clerici, quàm laici, ad sacrum beati Medardi monasterium aduolârunt, quòd illic ordo monasticus floreret, & venerandi alumni eius Arnulphi iam inclusi amor eos mirificè attraheret.

Multi eius
exéplo con-
uertuntur.

De S. Arnulphi vita durissima & diuturno silentio. Cap. 8.

Ille verò de virtute in virtutem quotidie proficiscens, & quæ hæcenus egisset, pro nihilo ducens, cellula angustias, intrâ quam sese incluserat, delicias paradisi æstimabat, cõtinuamque corporis afflictionem non dolorem putabat aut tristitiam, sed gloriam & voluptatem. Quamobrèm cellam egrediens, foris sub diuo fossam effecit, atque in ea residens, stillicidia à recto ecclesiæ super caput & collum eius decidentia excepit: nec mutauit illam fossæ habitationem & sessionem etiam pluuia & niue cadente, frigus atque gelu minimè declinans: sed ad omnem cæli iniuriam & incommoditatem perseueranter orans & psallens, gemens & plorans, atque interdum lectioni vacans, perdurabat. Tribus etiam annis & mensibus sex nulli mortaliũ vllum locutus est verbum, intrâ perpetuum sese silentium continens, & cælestium contemplatione atque assidua verbi Dei delectatus meditatione, quam solus sedès & legens, ex diuinorum copia librorum vbertim hauriebat. Cuius instantia proficiens, & diuinæ gratiæ auxilio præcedente multum abundans, non mediocriter sapiens euadebat, prudenter intelligens & efficaciter capiens diuinæ scripturæ mentem & sententiam, tanto Deo propinquior, quãto ab humanis rebus remotior. Dedit quoque operam, vt scribendi peritiam obtineret: librosque componendi non contemnendam adeptus est gratiam. De cibo verò & potu quid referam, cum diuturnis ille ieiunijs plus delectaretur, quàm delicatis ferculis. Panis ex hordeo semitrito & raro & parcè in cibum sumebatur, alius nunquam: aqua squalens erat potus, nec ea tamen quotidie apponebatur, neque apposita sic capiebatur, vt sufficeret.

Vide durissimam vitam.

Diuturnum silentium.

Mira abstinentia.

Vt Abbas creatus aufugerit. Cap. 9.

Interea defungitur Abbas Reinaldus, & instigante ambitionis spiritu, Pontius quidam pseudomachus, gradu comparatio, non secundum Grammaticam, sed iuxta Simoniam, à Rege Fræcorum Philippo nomen & sedem Abbatis adipiscitur. Is Pontius nimium profusè & dapsiliter vitans, omnem loci substantiam breui exhaustit, ecclesiæ ornamenta, quæ iam præcipua erant, in vsus militum ipsum stipantium expendit, & penè omnia, quæ ad domus Dei decorem pertinerent, vesanus profudit. Quid plura? Fame & inedia fratres premente, diuinæ laudis officia in ecclesia defecere, atque illa tam famosa beati Medardi basilica, ad tempus facta est opprobrium vicinis suis. Fratres ergò sanioris consilij, in vnum congregati, inter se conferunt, quid remedij tantæ perniciæ adhibendum sit. Reperiunt consultum fore, vt assumpto Episcopo Suesseionensi cum loci primarijs, à regia maiestate petant, vt cœnobij prisca nobilitate conspicui, at nunc per Pontium destructi, clementer misereatur, preciosorum martyrum confessorumque corpora illic quiescètia reuereatur, iubeatque, vt cincto Pontio, non Abbate, sed tyranno, dignus pater & pastor ouili Dominico prouideatur. Ità ergò faciunt, & facile Regis animum ad clementiam inflectentes, communi consilio fratrum, fauente Clero & populo, eligunt sibi Abbatem Christi seruum Arnulphum. Mox antistes Theobaldus cum fratrum caterua abijt ad inclusum, & præmissa oratione solenni, appellat eum, rogans & obsecrās, monens & imperans, vt votis fratrum acquiescat, Abbatisque ministerium locumque, in Christi nomine suscipiat. At ille, qui iam triennij & sex mensum silentium tenuerat, nimium expauescens, arrepta tabella, tale responsum scribit: Rogo vos, patres charissimi, parcite mihi, & me peccatorum mole prægrauatũ, sinite aliquem Deo offerre pœnitentiæ fructum: nec me hominem insulsum, vilo modo cogatis ad tale onus suscipiendum. Quòd si modò non vultis cedere precibus meis, inducias vel vsque manè mihi detis, vt possim hac in re explorare Dei voluntatem. Eo responso perlecto, Episcopus cum Clero aduertit eum quippiam animo callidè versare: datis tamen inducijs, custodes, nè noctũ fugiat, in cellâ circuitu disponunt. Verum ille altis suspirijs crebrisque gemitibus noctem transiens peruigil, ubi aduertit custodes optato sopore correptos, scalam ascendit & per murum aufugit. Cum autem fugiendo erraret, nec sciret quòd fugeret, tandem peruenit in pagum iuxta pontem Laudunensem, atque illic in pauperis cuiusdã hospitium ingressus, quieuit. Hora autè cœnæ aqua deficiente, ille non iussus arripit amphoram:

Põtij pseudo abbatis prodigalitas.

Arnulphus eligitur Abbas.

Eccè modestiam.

Aufugit claustrum, nè fieret Abbas.

montem

currens

currens ad puteum, haurit aquam, infert in domū, omnibus inferuit, sed mutus omnino perseverat. Sub vesperam redit homo ab vrbe Sueffionensi, atque inter cœnantium commemorat, vt vulgo referente perceperat, multum rumorem multamque turbationem extitisse in populis ob discessum cuiusdam serui Dei, quem dicerent aufigisse, nè fieret Abbas S. Medardi. Permulti interim ablegantur in regiones, vt sanctum virum quærant per sylvas & montes, edicto etiam proposito, nè quis reficiatur, donèc vir Dei repertus sit.

Lupo præeunte, redit nescius ad urbem Sueffionensem, & compellitur esse Abbas. Cap. 10.

HAEC vbi audiuit heros reuerendus, toto animo satagit euitare quærētium manus. Itaque prima noctis hora surgens è strato, abit ad pagi eius ecclesiam, & ante ianuam prostratus, clamat ad Deum cum multo ploratu, eius maiestatem deprecans, nè onus regiminis, quo se prorsus indignum censebat, vilo modo sibi patitur imponi. Cumque diu multumque id orasset, putaretque preces suas à Deo exauditas, deliberauit fugere ad remota deserti loca. Et ecce subito lupo ingès abimprouisò adueniens, illi se itineris comitem adiungit. Ille ratus ex lupi comitatu se facilius ad auia loca peruenturum, illum præeuntem sequitur. Ità duce lupo, vel potius auctore Deo, nocte redit ad urbem Sueffionensem, sedensque in cliuo ei propinquo, orto sole, vbi esset agnouit. Animo ergò anxius & mœrore confectus, eminus videt fossam in rupe, in qua lapides quadrabantur: atque in eam, illic latitaturus, descendit. Aduenientes autem agricolæ & lapidicæ, vt viderunt hominem in veste humiliter nihil loquentem, renunciauerunt in ciuitatem. Quale verò gaudium, quanta celebritas mox in vrbe extiterit, non putamus fieri posse, vt ab vilo homine referatur. Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudabant nomen Domini, quòd non esse passus eos frustrari inuentione patris oprati. Exeunt Monachi cum Clericis, nobiles cum vrbanis, & ligatum fugitiuum suum pertrahunt ad beati Medardi ecclesiam, inuito demandantes munus locumque Abbatis. Vix tandè ille ora resoluens, Reuerè, ait, nisi diuinis nutibus resistere formidarem, quod imponitis prorsus abnuerem. Consensit itaque vel inuitus, sicque illi cœnobio præfectus, sancti Ordinis instaurator longè optimus, studuit praua corrigere, vitia funditus extirpare, mores fratrum suauis sermone, exemplo præeunte, assidue componere, & quicquid monastica regulæ aduersabatur, ocyus profligare. Credi vix possit, quàm breui tempore totius cœnobij status ad primæ integritatis & honestatis formam reductus sit. Ornamenta ecclesiæ réuocata sunt, vita monastica & regularis obseruantia restituta & redintegrata, conducibilia quæque reparata, absona & noxia dissipata. Gaudebat ijs in locis nobilitas omnis, quòd celebre illud & regale monasterium pristino honore & cultu non diu caruisset. Exultabat illa regio, quòd magni cæli senatoris cœlijque martyris Sebastiani, aliorumque martyrum & confessorum pignora, à diuersis Regibus & Episcopis illic congregata, congruis laudū solennijs diutius non priuarentur.

Vt asellum suum mirè curarit, & ab homine feroci res sui monasterij recuperarit. Cap. 11.

Labores & fatigationes, quas in eo regimine pertulit, commemorare par est, vt rectoribus optimum imitandi specimen proponatur. Godefridus Florinensis, vir non minùs superbus, quàm potès, & qui nec Deum nec hominem vereretur, prædium quoddam, in pago Sambrico situm, ecclesiæ S. Medardi fratribus multis annis eripuerat, & in suos vsus vtilitatemque praua voluntate conuerterat. Et quia potestas eius omnibus terrori erat, nemo antisitum coràm illū appellare ausus erat, eiusque intolerabilem malitiam non ignorantes, nullo modo canonicè illum tentare volebant. Fratres igitur vnanimiter orant Abbatem & procuratorem suum vigilantissimum Arnulphum, vt charitatis studio laborem suscipiat virum illum præpotentem adeundi, & vt res ecclesiæ ipsorum ablatas restituat, grauitè admonendi. Assentit fraternis precibus, feruens zelo domūs Dei, vir beatus, iubetque parari itineri opportuna. Etsi autem ille mundi gloriam & fastum summoperè deuitaret, at tamen quidam familiares eius, quorum adhuc erat infirma mens, peroprabant, vt possessè ageretur, delicatè se gereret, instar aliorum Franciæ Abbatum ambitiosè cõiuaretur, & vineret deliciose: humilitatem sancti viri, quam ille perpetuò sectabatur, ignominia loco ducentes. Itaque asellum eius, quo solebat iter facere, clam debilitatum, vt illo

Impertentus cum lupo graditur

Inuitus compellitur esse Abbas.

Optimi Abbatis exemplum.

Mundi fastu semper vitat.

vt illo amoto, spumanti equo deinceps sublimis veheretur. Indicârunt autem illi, vt caballum comparari iuberet, cuius opera vteretur. Ille hoc audiens, cum pro obfir-
mata humilitatis constantia ab equestri vectione abhorreret, cum paucis discipulis
adit stabulum, in quo asinus iacebat debilis, atque placida voce, & affectu placidiori:
Omnipotens Deus bene scit, quo animo hoc iter aggredi velim: non vtrique iactantia,
supercilio, sed studio Deo obsequendi, & fratrum vtilitati consulendi. Et quia post-
quam secularem militiam valere iussi, deliberatum mihi est equi tergo minimè insi-
dere, idque non pro aliqua vanitate, sed Domini mei Iesu Christi imitatione: si iam
placet illi, vt abeam, placeat oro, vt sanetur pes huius aselli: vt humili gestatus vehi-
culo, seruitium eius lætus exequar. Hæc dicens simul signum Crucis contra asellum
edidit, & recessit. Mox asinus restitutus, surrexit, totusque sospes & alacer, famuli
Dei vectionem & suscepit, & perfecit. Vbi autem ventum est in conspectum superbis-
simi illius & opulenti Godofridi, non dici potest, quàm benigne & comiter cum ex-
ceperit, quàm propenso amore illi obedièrit. Nam simul atque eum allocutus est vir
sanctus, ilicò detumuit fastus eius, & deposuit sese illa ferox & elata ceruix, redditaque
est ecclesiæ prisca hæreditas: & qui hæcenus fuerat ecclesiæ deuastator, deinceps fa-
cius est deuotus conseruator.

Non vult
equo vehi.

Signo Cru-
cis & prece
sanat asellu
suum.

Recuperat
monasterij
res, diu ab
homine po-
tente occu-
patas.

*Multi ægroti, pane vel vino ab eo benedicto, itemque pomis eius
curantur. Cap. 12.*

Mulier quædam nobilis, nomine Hasplendis, charitatis causa ad virum Dei pro-
fecta, conquerebatur suum quendam domesticum esse lunaticum, & mensuris
casibus per sæpe dirè torqueri. Ille fragmen panis quo vesci ipse solebat, benedixit, de-
ditque ei, dicens: Mox vt domum redieris, aliquid huius panis ante omnem cibum cum
sumere compelle, & Deo iubente, passio, qua laborat, curabitur. Fecit illa, vt docta e-
rat, sed malignus inuasor non permisit, vt eius panis quicquam contingeret, haud se-
cus, atque ignis, eius tactum pertimescens. Sed diuturna fame tandem compulsus, sum-
psit ex eo, & sanatus est. Habebat seruus Dei ante fores cellæ suæ quasdam arbusculas:
quarum poma eius iussu, ægroti edentes, mox pulsus languoribus erigebantur. Ad in-
firmos etiam longius positos crebrò transmisit panem vel vinum, sua benedictione
conditum: eoque gustato, illi confestim meliùs habebant.

Nota vim
panis bene-
dicti.

Multos fa-
nat mirabi-
liter.

De sanatione hominis edere non valentis, itemque cæcæ mulieris.

Cap. 13.

EA, quam diximus paulò supra, matrona nobilis Hasplendis, crebrò virum Dei in-
uisens, indicauit ei, in supradicto prædio manere hominem quendam, qui præ ni-
mia morbi acerbitate omnem edendi facultatem & vsu amississet, & miseram vi-
tam squallenti edulio ducens, in pœnis tabesceret. Is verò ita precatus erat hanc foe-
minam: Quæso mea domina, vbi ad hominem Dei accesseris, significes ei, certa visio-
ne crebrò monitum me esse, si de pane eius percipere merear, statim edendi panis v-
sum me recuperaturum: oresque illius humanitatem, vt mittat ad me optatam sui
panis benedictionem. Hæc vt audiuit vir sanctus, pro proximia miseratione homini
compatiens, cum lachrymis Deo preces libat, & hora refectionis suæ panis appositi
partem profusiùs benedicens, per ministrum dat foeminæ illi, ad ægrotum deportan-
dam. Ex quo pane mox vt infirmus quippiã in os intulit, non solum redijt edendi fa-
cultas, sed etiã auiditas accessit, itã vt in dies robur corporis instauraretur, quod longa
fame attritum videbatur. Inuisit inde aliud monasterij prædium Vinceredium, ad Mo-
sam flumen situm: vbi cum paucis diebus fuisset, quædam eius ruris mulier, iam de-
cem annis cæca, accessit ad monachos, itineris eius socios, & ait: Ante complures
dies meam mihi calamitatem deploranti apparuit quædam in somnis visio, certissi-
mè promittens, si aquam manuum suarum ablutione sanctificatam, ad diluendos o-
culos meos hic homo Deo charus mihi largiri velit, illius meritis Dominum amif-
sum diu oculorum lumen ilicò mihi restitutum. Precor igitur, vt vos illo manus la-
uante, aquam seruetis, vt possim absolui tenebris tam diuturnæ cæcitatibus. Cum ergo
seruus Dei manus ablueret, illi aquam luminibus orbatâ offerunt, eodemque tem-
poris puncto, quo eam oculis admouit suis, visum mulier recepit. Sed vbi vir Dei id
comperit, non tulit æquo animo, celeriter inde abscedens, vt pro tantæ virtutis signo
populares applausus declinaret.

Pane bene-
dicto sanat
hominem.

Aqua, qua
manus ab-
luit, cæca
curatur.

Ppp

Virum

Virum nobilem egrotum, & eius vxorem, è partu laborantem sanat, prædicitque calamitatem alterius nobilis viri. Cap. 14.

NON longè ab vrbe Suesfionensi degebat vir nobilis, militiæ actibus implicatus, Guido nomine. Eius vxor Ermegardis, pietatis cultrix erat. Ambo autem & diuitijs & bonis operibus abundabant. Porrò Guido in grauem incidens morbum, dormiendi & manducandi facultate amiffa, à suis desperabatur, & tanquam mortuus ab amicis plangebatur. Eodem ferè tempore coniunx eius, vicini partus doloribus & angustijs premebatur, dupliciq; attrita timore, hinc suam, inde mariti mortem formidabat. In tot malis hoc vnum sibi credidit superesse remedium, si suos & mariti casus orationibus sancti Arnulphi commendaret. Mittens itaq; ad eum domesticum Clericum, & suum & viri periculum lachrymabunda ei exponit. Ille futurorù mirè præsciens, cum priùs orasset, ita ait Clerico illi: Abi frater, & charissimè sorori nostræ hæc responsa accuratè & celeriter reporta. Duæ tibi imminent graues angustiae, quas proptio Domino feliciter superabis: sed his tertia accedet, quam tu quidem ignoras, sed ea tanto erit grauior, quãto ab omni remedio alienior. Maritus enim tuus reualefcerit, & firma incolumitate gaudebit. Tu quoque pariendi periculum euades, & hac nocte ante nocturni officij datum signum, paries filium gratulabunda. At tertia calamitas, quæ tibi ne in mētem quidem adhuc venit, & prolixiores est dolores allatura, eiusmodi erit: Albricus frater tuus, Codiciati castri dominus, coniugis suæ Anelinæ consilio iam proditus est, & nisi citò & cautè sibi prospexerit, turrimq; suam & totum castellum diligenter communiērit, crās ante vesperam ab hostibus capietur, exturbabitur, & damno irreparabili afficietur. Mitte ergò ocyùs soror mea, & tam vxoris malitiam quàm hostium infidias iam ingruentes, fratri tuo denuncia. His dictis, nuncius ab eorecedens, celeriter properat ad dominam: refert mandata sancti viri: matronæ animus vno eodemq; tempore & gaudio & pauore afficitur: mittit properè nūcium ad fratrem, perspicuè indicat vxoris eius machinas, & hostium illa duce conatus atque molitiones. Albricus his acceptis, credit quidē forori, sed tamen coniugi perneganti maiorem commodat fidem. Itaque dum sibi non cauet, castellum non munit, diluculo ab hostibus inuaditur, capitur, expellitur, & ante vesperam alterius diei eius castri possessione nudatur. Eadem autem nocte Ermegardis è partu laborans, antequàm in beati Medardi ecclesia nocturnæ synaxis primum signum ederetur, filium enixa est. Ecce autem sequenti die depræhenditur infans absque oculis esse editus in lucem. Ecquid verò tum facerent obstetrices? Valdè animis consternatæ plangūt, clam misistabundæ condolent, & modis omnibus dant operā, nè mater filij cæcitatē rescificat. Euolutis sex diebus, ex ancillarum murmure animaduertit matrona quippiam puero accidisse, quod fateri non auderent. Accersit pedissequas, sciiscitur num pueri res omnes saluæ sint. Præ pauore non audent illæ indicare puerum cæcū natum, nè noui doloris accessio illi interitum adferat: sed rem salutarem comminiscuntur, aiunt se idcirco conturbari, quòd infans ille, vt par erat, ante baptismum non sit oblatas serui Dei Arnulphi obtutibus. Matrona illis assentitur, mittit infantulum ad hominem Dei, orans & postulans, vt suis eum manibus tangat & benedicat. Paret ille maternis votis, perque fenestram ad se recipit infantem, fundit super eum preces, tangit illum & benedicit, salua oris sui linit oculorum sedes, mox oculi cæci patefcerunt, & in ipsius serui Dei ora primos suos vibrāt radios. Redditur inde eis, qui eum attulerāt: ab illis ad matrem deportatur, exultantibus quòd recens nato, noui essent collati oculi. Tum verò magna admiratio inuadit matrem, cui contigisset scire filium priùs illuminatum, quàm cognouisset cæcum natum. Ipsa quoque, vt vir Dei promiserat, à partus angoribus citò & integrè absoluta, viri incolumitatem paulò pòst cõspexit. Hac autem omnia ita, vt diximus, gesta esse, ipsemet testatur, olim quidem cæcus natus, & à viro Dei curatus, nunc verò homo perfectæ ætatis & Archidiaconus Petrus, vno capitulo quatuor miracula cõplexus, ante prouisam Albrici prodicionem, coniugis eius opera structam, Guidonis sanationem, puerperæ liberationem, & quod ijs præfatus est, novos oculos oratione serui Dei potius, quàm naturæ debito, impetratos.

Prædicit obitum cuiusdam nobilis. Cap. 15.

EST illud quoque commemorare operæ precium, vnde aduertatur, quàm subtiliter & promptè ille quadam Dei prærogatiua futura præiudicet. Coniuges illi, quos

Eius vaticinium.

Albricus vir nobilis, negligens sancti viri prophetiã, in magnas incidit calamitates.

Cæcus puer videt.

quos iam diximus, iam pridem filiam genuerant vultu decoram, quæ per id tempus nobiles habens annos, ab illis militi cuidam natalibus non impari fuerat desponsata. At illa, vt se habet puellaris lasciuia, quædam alium, rebus & genere inferiorem, plus diligens, recusat sponsum à parentibus delectum, crebrò iurans, quòd se ipsam interficeret, nisi cupitis amplexibus potiretur. Ea incòmoditate parentes affecti, virum Dei Arnulphum consulunt, scire cupientes, quid in ea afflictione ipsis faciendum foret. Ille auditis eorum querimonijs, opportunè quidem & planè diuinum eis responsum dedit: Canonum, inquit, autoritate cauetur, nè puella cui non vult iungatur. ideoq; præcipio vobis, vt puellam ei quem amat, colloceis matrimonio. Vt enim ob vestræ religionis meritum nobis ostensum est, paulò post videbitis eam illum sponsum ardentè expetere, cuius à se coniugium tam studiosè iam conatur amouere. Permittatis filia vestræ suæ hac in re vti voluntate: & ita fiet, vt res ad vestram cedat honestatem. Credunt illi verbis sancti viri, nuptias optatas honesto apparatu celebrant, finuntq; filiam dilecti viri frui contubernio. Ille verò, cum in id valdè esset intentus, vt postet miles celebris & famosus haberi, atque ea causa nunquam vellet abesse, vbi milites inter se congrederentur, dum auidius fertur in arma, ab armatis perimitur, & ex noua sponsa breuè efficit viduam. Ità iuxta viri Dei sermonem puella se contulit ad amorem prioris sponsi, eique coniuncta, alterius iacturam moderatè tulit.

Puellæ non sunt collocaudæ viris quos nolit.

Rhombum piscem fratribus importunis non sine miraculo procurat: sed prædicat importunitatis eius penam. Cap. 16.

IN eodem beati Medardi monasterio erat crypta versùs Oriètem, cuius anniuersarius dedicationis dies solenniter quotannis agebatur. Illo autem die prisca loci nobilitas esum rhombi piscis requirebat. Eam autem consuetudinè nouus Abbas ignorabat, donèc ipsa solennitas iam præforibus esset, & Abbati nihil prorsus inde cogitanti, alijsq; curis occupato, quandam necessitatem repentino imponeret. Eius enim diei hora tertia ex œconomò perquirunt fratres, num rhombus præstò sit. Illo negante, & verba eorum admirante, stomachabundi dixere, se Missarum celebrationè minime inchoaturos, donèc rhombus in culinam esset illatus. His auditis, quidam è senioribus aduent Abbate nihil tale suspicantem, exponunt fratrum sententiam. Ille, vt vir sagacissimus, tam puerile fratrum propositum cognoscens, & parumper apud se tacitus deliberans, tandem respondit: Si hunc morem pridem perspectum habuissemus, licuisset per ocium illù piscem inquirere. At nunc quando de improviso eum discimus, potest Dei omnipotentia eum largiri nobis, vt fratribus tollamus scandalum, & sancta celebritas alacriter peragatur. Et nunc ocyis abeat minister cum puero ad pontem Axonæ, & rhombum illic comparet, coquinaque fratrum representet. Porro ad seniores conuersus, ait: Ite charissimi, nunciate fratribus, non defuturum illis rhombum, & vt solennitatem Domini hilariter peragent: simul autem indicite eis, siue ego viuam, siue moriar, definitum hoc esse, vt viginti annis hoc die carcant rhombi ferculis. Qui autem missus erat, præter omnem spem rhombum inuenit, emit, mèsis fratrum coctum curat inferri. Sed fratres, qui huic rei interfuere, sub diuini nominis obtestatione asserebāt, deinceps per annos triginta piscem eiusmodi illo die nullo modo potuisse inueniri. Mirum sanè, quòd tam præsens ei aderat spiritus Dei, vt quicquid diceret, veritatis constantia firmaretur.

Punitur diuinitis fratrum importunitas.

Abdicat se Abbatis functione, nolens cum Rege in bellum proficisci armatus.

Cap. 17.

SED quia ratum hoc est inter mortales, nihil esse ex omni parte beatum, erat tum temporis in illo monasterio Odo monachus, honestatis vsurpator, virtutis deprauator. Is Arnulpho viro Dei mirè inuidebat, putabatq; se illo digniorem loci eius administratione. Itaque perpetuò ille animo voluebat, qua ratione posset eum ab Abbatis functione amouere. Indicauit autem per internuncios Regi Francorum Philippo, vt contra hostes arma sumpturus, Abbatem S. Medardi secum in militiam proficisci iuberet. Annuit Rex consilijs Odonis, & cum exercitum promouisset, missis legatis, monuit dominum Arnulphum, vt cum armato milite secum in expeditionem iret. At ille, qui quòdam in seculo strenuè se in militia gessisset, & militare cingulum in Dei famulatum commutasset, vehementer ab ea re abhorrescens, prorsus recusauit id genus officij Regi præstare. Egone, inquit, relicta causa Dei, rursùm militibus

Odo, sancti viri amulo.

Quid non molitur fraudis ambitio?

Mauult Ab-
batis carere
dignitate,
quam ire in
bellū cum
Rege.

stipabor, cum militibus rursus arma tractabo: Grāde profecto id nefas fuerit. Malim
sanē Abbatis & loco & nomine perpetuò caruisse, quam sub huius dignitatis prete-
xtu iterum seculo inferuire. Id vbi cōperit Philippus Rex, à malis consiliarijs depra-
uatus, misit legatos, qui dicerent Abbatiam magnis opibus & possessionibus instru-
ctam, militibus, qui Regis essent beneficiarij, circumfultam, qui antiquitus confue-
rent cum Abbate Regiæ expeditiōi adesse. Faceret ergò, quod mos haberet antiquus,
aut loco cederet, quò Regis iussa compleatur. His auditis, vir eximius cellam repetit,
fese in ea includit, pro nihilo ducens illud culmen honoris: ac deinceps longè & me-
lius & feruentius in summæ maiestatis famulatu sese exercet.

*Geraldum sibi substituit, & reginæ illum expellenti futuram calamitatem
prædicat. Cap. 18.*

Frater Ge-
raldus in eius
locum sub-
stituitur.

Prædicat re-
ginæ teme-
rariè futurā
calamitatē.

Idem Gera-
ldus cōstruit
monasteriū
in quo felici-
tate finiuit
vitam.

Verum quandò illa nobilis animi ingenita prudentia nequaquam ferre potuit, vt
grex eximius absque spiritali rectore, diu fluctuaret, conuocatis ad se præstantio-
ris ingenij & sanioris consilij fratribus, salubri vsus consilio, elegit sibi successorem
virum non minùs dignum Geraldum, scientia scripturarum egregiè instructum, &
omni honestate conspicuum. Eo Abbate ocyùs instituto, derepente aduolat supra-
dictus ille Pontius, vesanus monastici Ordinis temerator, ducens secum Reginā Ber-
tradam, quæ autoritate regia Geraldum expelleret, & Pontium contra fas in sancti
loci administrationem intruderet. Id vbi rescituit Christi feruus Arnulphus, è cella
egreditur, reginam furibundam blanditer appellat, submissè rogat, vt licet regina sit,
memor tamen muliebris conditionis, memor diuinorum iudiciorum, contra leges
Ecclesiasticas venire formidet, ab iniuria tanti viri verecundè sibi temperet. Cum au-
tem ea præ regio fastu & tumore viri sancti monita non admitteret, prophetico spi-
ritu dixit ei: Crede si lubet, ò regina fratri Arnulpho, immò potius crede spiritui san-
cto. Nam si tu fratrem Geraldum hinc eieccheris, Deo vindice, tu quoquè ante obitum
tuum à regno extruderis, contemptaq; & ærumnosa morieris. Eam viri Dei prophe-
tiam, luce clarius est, completam esse, quandò omnes nōrunt, reginam illam post an-
nos aliquot regis animum ad eò offendisse, vt conciliari prorsus nollet: a motam què
à regni cōsortio, & in pagum Pontinum translata, post diurnam calamitatem il-
lic plebeio more defunctam & sepultam. Geraldus autem ab ea pulsus, dedit locum
iræ, abiitque in Aquitaniam: vbi à duce humaniter acceptus, in sylua maiori illustre
cœnobium construxit: in quo ad finem vitæ Deo seruiuit, & tandem feliciter in Do-
mino obdormiuit. Eius & vita & mors virtutum signis effulsit.

*Sanctitatis eius fama permultos etiam nobiles inuitat ad captanda ab eo salutaria
consilia. Cap. 19.*

Exercitia
eius inclusi.

Multi ad eum
confluunt.

Arnulphus ergò amica Cellæ inclusione potitus, perindè acsi tum primò incipe-
ret, quotidianis sese icenijs alacriter macerabat, vigilijs affligebat, orationi assi-
duè vacans, & magna animi contentione diuinæ contemplationi insistens. Ità ergò se
comparans, & eiusmodi virtutum studijs & exercitijs in dies excrefcens, magnam à
Domino consecutus est gratiam, & in Francorum regno fama eius longè lateq; diffu-
sa est, ad eò vt totius regni nobiles, eius benedictionibus frui peroptarent, & omnes in
dignitate positi, eius colloquium ardentè expeterent, tum de pace Ecclesiæ, tum de
animarum salute ab illo consilia petentes. Felicem se credebat, quisquis vel sermo-
nem eius audire potuisset. Fama verò sanctitatis eius etiam per omnes prouincias di-
manabat, atque ad eius colloquium diuersæ & ætatis & dignitatis personas vndique
aduocabat. Opportunum equidem reor hoc loco commemorare, quæ signa & mira-
cula ediderit, quæ prophetice enunciarit.

Absentis hominis nobilis mortem indicat. Cap. 20.

Horrenda
mors nobi-
lis cuiusdā.

Per hos dies venit ad eum maritus sororis eius, ex quo post mutua de animæ salu-
te colloquia sciscitabatur, viuerētne ipsorum quōdā sodalis & cōmilito Israël,
& quidnam ageret. Illo respondēte, sospitem eum esse & rectè valere, atque in omni-
bus prosperè agere, vir Dei prophetico plenus spiritu, ait: Non est ità, vt dicis. nanque
ille & corpore & animo mortuus est. Hesterno enim die cum multa præda rediens
domum, sub vesperam in scamno apud focum in concubinæ suæ gremium caput de-
posuit, & repentina morte extinctus perijt. O mortem sanē horredam, ò crudeles ex-
actores, à quibus infelix eius anima æternis cruciatibus punienda, in tartarum abdu-
cta est.

ta est. Hæc audiens affinis eius, valdè perterritus est, & priusquam domum rediret, omnia sic comperit Israëlī accidisse, vt vir Dei nunciaret.

Pisces sibi oblatum, diuinitus cognoscit veneno ab hostibus infectum. Cap. 21.

Alio tempore venit ad eum soror eius Adzela. Ea ad fenestrā cellulæ eius sedēte, & quo pacto vitā animæ inter tot mundi procellas seruare posset inquirente, hora meridiana minister pisces frixum attulit, (erat enim dies celeberrimus) & corā illo posuit in fenestra. At ergo soror eius: iam mihi, sancte frater, recedendū est. cibo enim allato, te refici par est. Respondit vir Dei: Huius cibi causa ego, mea soror, te non patior hinc abire. Non enim licebit mihi ex hoc pisce edere. Est enim veneno ab infecto nobis hoste infectus, vt mihi exitium adferat. Sed spiritui sancto agamus gratias, qui suo instinctu docuit nos, nē sumpto toxico, inimico gaudium adferamus. Mox ad se coruū vocat, quem micis quibusdā collectis in fenestra pascebat: imperat ei, vt rostro correptū pisces, in eum locū transferat, vbi à nullo possit mortalium inueniri. Hæsitat aliquantisper coruus, tandē mordicus apprehensum absportat. Porro vir sanctus terribiliter interdicit sorori hæc cernenti, nē, ipso viuente, cuiquam reuellet.

Pisces veneno infectū, calidus cognoscit.

Eidem sorori suæ indicat mortem filij eius. Cap. 22.

Habuit eadē ipsa filium adolescētem, quem cuidā homini potenti cōmendarat, vt ab illo arma acciperet. Interrogauit ergo eā vir Dei, vbi esset filius eius, & quid ageret. Respondit illa, missum eum esse saluum & incolumem ad quendam parentem consanguineum, vt apud eum sit, donèc militiæ ornamenta accipiat. Vir sanctus ait: Vanam de eo coniecturā fecisti nupèr in initio Quadragesimæ, quod moriturus non esset, quando qui dem calceus in altum proiectus, trabem excessisset. Illo enim in loco agrotans, tali die, taliq; hora mortuus & sepultus est. Tum illa suprā, quàm dici possit, admirans, cum multo pauore discessit, & antè, quàm domū rediret, nuncius mortui filij ipsam anteuerit, & locum, & diem, & horam obitus eius eodem modo exponens, quo antè fecerat vir Domini Arnulphus, diuinitus edoctus.

Mortem absentis matris eius indicat

Sanat mutum puerum. Cap. 23.

Solenne martyriū clarissimi Leuitæ Laurentij annua celebritate festiuè agebatur, & populi frequentia campos & plateas in circuitu monasterij B. Medardi compleuerat: cum ecce quadam mulier cum filio annorum tredecim, ab ipso ortu prorsus muto irrupit ad fenestrā cellæ serui Dei, & cum multo animi mœrore orat, vt filij sui miseretur. Iungit ille dolorem dolori, & lachrymas lachrymis eius, & fusa oratione, acceptum per fenestrā puerum, signo sanctæ Crucis cum diuini nominis inuocatione consignat: idem signum labris eius imprimit, digitis linguam contrectat, eumq; interrogat: Quod est nomen tuum? Ille confestim lingua soluta, planè & aperte responder: Iohannes: & sic deinceps in offensè verba formans, loquendi beneficium accipit. Ea res mox innotescit multitudini, & magnis vocibus præ fidei ardore Dei laudes promunt. Sed cum in illis laudibus etiā viri sancti nomen celebrarent, ille molestissimè ferēs, ait: Valdè erratis, qui Christi opera mihi peccatori adscribitis. Quod Dominus fecit, Domino tribuatis, & illustri martyri Laurentio, cuius hodiè sacra solennitas celebratur. Animā enim lædit meam, quisquis tale opus meæ credit esse virtutis. Sic laudes hominum cauens, & summo opere intus puram seruans humilitatem, factus est apud Deum meritis gloriosus, & apud homines laude dignus.

Mutus puer, Crucis ab eo consignatus loquitur.

Antè de profundis eius humilitatē.

De profligato immundo spiritu ab adolescente. Cap. 24.

Adolecens quidam infectissima dæmonum obsidione correptus, vinculis & catenis colligatus, non potuit domari: sed quotquot contingere poterat, morsibus lacerabat. Tandē à multis vtrunque superatus & constrictus, cum multa vi pertraheretur ad S. Medardi ecclesiam, vbi viro Dei indicatum est de eo. Qui miseratus pessimè captiuum, iussit eum ad se adduci. Cumq; propius accessisset, mox vt vir Dei illum vidit, signum Crucis edidit, dicens illis, qui eum trahebāt: Dissoluite illum. Illis respondētibus, se id nullo pacto facere audere, nē fortè ab illo perimerētur: vir Dei ait: Iam dixi vobis, Dissoluite eum, nihil metuentes. Tum illi agrè sanè manus apponunt, hominemq; à vinculis absoluunt. Ille solutus, mox pronus corruit in terram, & adorauit. Iam enim, postquam Christi seruum viderat, & ab eo fuerat consignatus, ob vindictæ cupiditatem, vis inimici in illo facta quieuit. Vir autem sanctus iussit eum à terra surgere, & ad cellam fenestrā se adiungere. Illo propius assistente, vir Dei ait ad eum: Dic mihi, fili,

Eiecit dæmonem ab obsesso qui diuinitus puniebatur ob vindictæ cupiditatem,

quandò & qua ratione tibi hæc accidit inimici infestatio? Respondit ille: Charissime pater, fuit mihi quidam confobrinus eleganti corporis forma & insigni robore. Eius animum cuiusdã viculi homunciones offenderant, itã vt adunatis sodalium & amicorum turbis, in eum viculum irruere, & eius habitatoribus trucidatis, iniuriã suã crudeliter vindicare tentaret. Sed cum viculus ille vndiquẽ sylua cingeretur, & vallo esset munitus, atq; eius incolæ viriliter resisterent, cõsobrinus meus nihil effecit: immodò etiã lancea vulneratus, visceribus patefactis, citò extinctus est. Eum mortuũ miser ego apprehendi, & scapulis meis eius talos imponens, per medium saltum traxi extra cãdis locum. Nox tetra tum erat: & ecce circumstant me antè & retrò malorum demonũ turbæ innumerabiles, vlulantes & sibilantes, subindè etiam cachinnantes. Itaque timor & tremor horrèdus me inuadit, & quædam aduersaria vis me medullinis concutit. Cum q; ignorarem quid facerẽ, tandè mortuũ cadaver nescio quẽ in locum abieci, moxq; sensu perditò, emotaq; mente, talis effectus sum, qualem me iam tuæ cernit beatitudo. Famulus Dei ait: Vis agere pœnitentiã, quod tanto facinori tuam operam commodãsti? Ille respõdit: Et pro hoc, & alijs omnibus, quibus Deum offendidi, volo sancte pater dignam Deo offerre pœnitentiã, & deinceps pro viribus ab omni malo abstinere. Tum vir Dei, irrogata illi pœnitentiã multa, sanum & incolam mem sanaq; mente præditum, à se dimisit, nõ solum legione demonum, sed etiam humani sanguinis hauriendi innata crudelitate liberatum. Nisi enim hac ratione impeditus esset, omnes eius viculi incolas in confobrinum vltionem iugulãstet.

Rumorem de Danorum aduentu sparsum, celesti reuelatione edoctus, vanum ostendit. Cap. 25.

EA tempestate sæuus rumor urbẽ Sueffionum, eiusq; suburbana & villas adiacentes quorundam rumigerulorum opera perturbãrat, in vulgus spargentium hostilem Danorum aduentum, affirmantiumq; gentem illam, totã Franciam breui occupaturam & vastaturam, non senibus, non infantibus, non ecclesijs vllò modo paraturam. Is rumor infaustus intantum creuit, vt Theobaldus Episcopus Sueffionensis virum Dei Arnulphum, tanquã diuinorũ secretorum confcium, hæc de re sollicitè cõsuleret, & multum anxius rogaret, à Domino sibi reuelari, vt peteret, num è prope tanto tanta calamitas immineret. Christi seruus simulatq; audiuit hos rumores, pro vanis habuit: nè tamen leuitatis argueretur, spatium petijt vsq; in crastinum, quò per alta noctis silentia supernam maiestatem prolixius precaretur, aliquid eius rei manifestum indicium sibi exhiberi. Manè redit sollicitus Episcopus ad modernam spiritalis testamenti arcam, repetitq; ab Arnulpho de re ipsi hesternò die exposita celeste oraculum. Tum vir Dei, vt erat à Domino edoctus, Nè paueas, inquit, venerande præsul: donè enim nos ambo hoc mortale geremus corpus, neque Dani, neq; quæuis aliæ barbaræ gentes regnum Franciæ vastabunt.

Celesti reuelatione discit falsũ rumorem sparsum.

Hoc loco in MS. exemplari sequuntur quinquaginta quinque versus heroiici rhytmici, quibus eadem de falso aduenientium Danorum rumore historia repetitur: quos breuitatis studio omisimus.

S. Arnulphus cogitur inuitus esse Sueffionum Episcopus. Cap. 26.

INterea Theobaldus Sueffionum antistes, Deo iubente, è vita excessit: in cuius locum quidam vir nobilis Geruasius, pro quadam Palatini seruitij compensatione fratrem suum Vrsionem curauit subrogãdum. Erat ille Vrsio habitu quidem monachus, & à puero literis eruditus, sed ad eiusmodi munus parum idoneus. Vita eius sordida & ignauiã, & cathedræ Sueffionensis non canonica vsurpatio, nõ diũ post peruenit ad aures Gregorij Pontificis Romani: qui mox datis literis ad Hugonem Dilectissimum Episcopum, & tunc apud Gallias Legatum, admonuit, vt vita & promotio Vrsionis canonicè discuteretur, & quicquid in ijs pugnaret cum sacris canonibus, synodali sententia rescinderetur. Itaq; Hugo, fauente & opitulante Theobaldo Comite, in Meldensib; vrbe, quæ est ad Matronam fluuium, indicit synodum, & ex decreto Pontificis Gregorij, permisso Vrsioni se purgandi facultate, cum ille legitimè citatus, & canonicè dilatus, se præsentare contemneret, iudicio Episcoporum reus est pronuntiantis, & etiam condemnatus. Facta proindè Clero & plebi Sueffionensi idem præfatorum lanti noui antistitis eligendi copia, pars sanioris consilij eligunt sanctæ religionis cultorem eximium Arnulphũ, & vt is quamprimum ipsis donetur, instantè postulant. Ita

Gregorij 7.

S. Arnulphus eligitur Sueffionum antistes.

Ita facta & conscripta concordia electione, Hugo Legatus mox e Concilio mittit quosdam ad S. Medardi cœnobium, per epistolam monens & mandans, vt Arnulphus e cella exeat, & ocyus se conferat ad Meldensem synodum: ni id faciat, anathemate se plexum nōrit. Paret iubenti Legato, quāuis ægrè, Arnulphus: venit in Conciliū, postquam assedit, confestim rogitur petitiō Cleri & populi Suesessionensis, Arnulphum sibi Episcopum eligentis. Inde vox exiit Episcoporum, Arnulphum omni sanctitate ornatum, sibi collegam dari poscentium. Mox trahitur, & nec ad momentum excusandi dato spatio, insula ei imponitur, simulque in conspectū Episcoporum adducitur. Afflicto autē & mœrenti, Hugo Legatus in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, vt deinceps Christi Ecclesiæ in Pontificali officio seruiat. Hoc ille mandato confectus, cessit eorum voluntati, & designato cōsecrationis loco & tempore, ad monasterium S. Medardi rediit, vt itineri necessaria prepararet. Quibus copiose paratis, non suo typho, sed fidelium voto, profectus est cum quatuor monachis, & electis e Clero, venitque in Campaniam ad castrum, quod Virtutes appellant.

Seuerè castigat fratrem, cuius culpam spiritu reuelante cognouerat. Cap. 27.

Porrò Comes Theobaldus, eius cognito aduentu, cum magno militum & nobilium comitatu hilariter eum excepit, & officiosè in ædes introduxit. Hora autem vespertina in quodā remotiori cubiculo vir Dei secretiis residebat, aderatque ei Comes iam dictus cum perpaucis nobilibus, de animæ salute ex illo sciscitans: cum subito mutato vultu, & quasi spiritu incitate, Vocate mihi, ait, duos illos fratres nostros, Euerolphum & Ostermarum. Est enim, quod illis dictum velim. Confestim vocantur, & veniunt: cum que starent ante illum, ait Ostermaro: Postquam Deo miserante secularis militiæ factum reliqui, pro viribus operā dedi, nē vlli ex fratribus iniuriam aut quamlibet contumeliam irrogarem: quodq; ego sollicitè obseruavi, a cunctis mihi adherentibus sollicitiùs obseruandum curavi. Noui enim pœnam diuino ore constitutam in eum, qui vnum e pusillis scandalizet. Quæ cum sint verissima, qua fronte ausus es frater Ostermare fratrem Euerolphum afficere contumelia, & neque timore diuino, neque nostro pudori deferre? Abi igitur, & reuertere ad monasteriū tuum. post tantam enim stoliditatem non patior te socium itineris mei. Volo enim comites meos esse placidos, mites, beneuolos, in mutuā officia paratos, non refractarios & non subditos. His ille frater supra modū consternatus, tremula voce respondit: Vobis binam ego, domine pater, aut refractarius sui, aut alicui contumeliam feci? Ego sanè eius nō memini. Vir Dei ait: Nonne aures meæ erant ad os tuū, quandò dixisti fratri Euerolpho, malle te, vt caput eius mergeretur in latrinam, quàm tuus caballus solito maiori annona fraudaretur? Crede mihi, nunquā id ausus fuisses dicere, si nostræ gratiæ vlla tibi cura fuisset. Tum verò omnes, qui aderāt, mirè obstupuerunt, quomodo ille rem occultam & quasi tacite prolatam, tam perspicuè scire posset. Longo enim intervallo distabant illud cubiculum, in quo sedebat vir sanctus, & equorū stabulū: neque dictum hoc erat, nisi cum equis annona distribuere. Tandem frater ad viri Dei pedes aduoluit, & cum illo pariter cæteri fratres, suppliciter illi veniam perentes. Quibus ait vir sanctus: Ignoscat illi Deus: mihi verò non erit posthac huius itineris comes. At ille præ nimio mœrore plorans, Eheu, inquit, sancte pater, quinam ego solus à te regrediar, aut qua ratione huius repulsi meæ dedecus ferre poterō? Putabūt omnes nefarium aliquid facinus me perpetrāsse, & ea causa à te reiectum. Parce, obsecro, pudori meo, & dona mihi veniam, nē me perpetuus mœror occupet. Tum vir pius eius dolorem miseratus, & fratrum precibus se accommodans, ait: Tu quidem ob hanc tuam stoliditatem prorsus domum redibis: sed nos per Dei gratiam aliquid eiusmodi negocium expediendum tibi demandabimus, vt nulla possis e reditu ignominia notari. Sed tamen rem, quam tibi mandaturi sumus, apud te tacitam habebis, nec vlli pandes, nisi cui eam volumus indicatam. A nobis ergò recedens, Parisios venies, & Reginam Bertradam nostro nomine salutabis, latumque ei nuncium afferes, quod in vtero habeat filium, quem in sacro fonte vocatura sit Ludouicum, post patris obitum regni Francorum Regem futurum. Illa verò vix tibi credit, quandoquidem infans necdūm vitālē habet motum: sed tu illi dicas, vt fidenter credat, post breve tempus certo experimento rei veritatem compertura. His frater ille valdè exhilaratus, Parisios proficiscitur, Reginæq; iucundum affert nuncium. Illa præ stupore pallescit, Regemque Philippum venationi intentum, per celeres nuncios euocat. Venit

Nota vitæ
innocentiæ.

Matth. 18.

V. for. sub.
dolos.

Abfens nō
uit, quid a
libi geratur.

Ablegat à
se refracta-
rium fratres.

Prædicat re-
ginæ nasci-
turū ex ipsa
Ludouicū.

Rex, auditaq; tam fausta relatione, quod tãdiũ optata prole esset potiturus, & gaudio & mœrore afficitur, atque inter vtrunq; fluctuat. Gaudet quidem, si ita se res habeat: metuit verò, nè sit inanis promissio. Tandem in regio pectore vincit fiducia, prudens. terque apud se statuit, non posse esse superuacaneum, quod tantus vir Dei prophetasset. Nouerat enim multimoda experiẽtia, cuius sanctitatis & veritatis esset, qui isthuc fore prædixerat. Paucis indẽ euolutis diebus sentit mater palpitantem foetum, & cum gaudio illius expectans natiuitatem, præ amore prolis contempsit partis dolores. Tandem editum filiolum in Paschæ peruigilio Episcoporum manibus obtulit ad baptisimum, & iuxta beati viri vaticinium, Ludouici nomen ei curauit imponi. Atq; is est Ludouicus, qui modò regni Francorum habenas moderatur, bella intestina pro viribus compescit, hostilia foriter exagitat: quãtũ quidem in ipso est, pacis est studio, in armis strenuus, in verbis cautus, prudẽs consilio, in bello imperterritus, bonorum amans, eius, quæ Regem decet, probitatis & integritatis cultor. Cui tamen, si quid regis perfectionis deest, nõ tam illi, quàm regni proceribus, id imputandum est. Verum his obiter commemoratis, ad Arnulphi res gestas explicandas reuertamur.

Ludouicus rex laudatur.

Vt sit consecratus Episcopus. Cap. 28.

Confecto tandem itinere, peruenit, ad Hugonem Legatum, qui sanè eius inopinã aduentu & lætatus est, & perturbatus. Lætatus quidem, quod talem virum exciperet: perturbatus verò, quod ad eum consecrandũ nulli Episcopi adessent. Interim tamen totum Deo cõmittens, repẽtino nuncio exhilaratur, & anxietas omnis abscedit. Nam postridiẽ veniunt ad eum tres Episcopi, nulla quidem necessitate eos cogente, sed tacito instinctu, vt ipsi palàm asserebant, ad Legatũ inuisendum eos permouente. Atq; ita omnibus patuĩ diuini consilij arcanũ, & quod diuinæ maiestatis voluntate decretum esset, vt Arnulphus Episcopus consecraretur. Itaq; proximo die Dominico consecratus est Episcopus decimo quarto Calendas Ianuarij, & multa omnĩ gratulatione & lætitia ad sedem Sueffionensem dimissus est. Nec latuit Viennenses eius fama præclara, collectiq; in vnum, mutuo se hortabantur, vt illum vi caperent, suãq; vrbis Archiepiscopum crearent. Vacabat enim tum Viennensis sedes. Sed vbi rumor ille spargi coepit, vir Dei è finibus eorum properè excessit, ad eam excolendã vineam, animasque pascendas festinans, quæ eius curæ specialiter commissæ erant.

Consecratur Episcopus S. Arnulphus.

Viennenses cupiunt eum habere suũ Archiepiscopum.

Cluniaci ab Hugone Abbate honorificè excipiuntur. Cap. 29.

Constituerat autem vir sanctus Cluniacum, monachorũ deuotionẽ conspicuum Cœnobium, clàm perlustrare: sed fama virtutis comes, non permisit eum latere. Nanq; Abbas Hugo vir cum primis religiosus, eius comperto aduentu, collecto monachorum exercitu, admodum honorificè ei obuiam processit, & cum multa veneratione eum excepit, nõ tam propter Episcopatum, quàm superioris vitæ merita, ipsi non ignota. Sedulus autem explorator eum illic manentem obsedit, non ex curiositate, sed sanctæ charitatis feruore, è scripturis quæstiones ei proponens, earumque solutiones ab ore eius eliciens: vt hac ratione posset cognoscere, vtrum promptus esset ad proferenda de thesauro suo noua & vetera, nè commissã illi ecclesia, minus, quàm par esset, spiritali doctrina aleretur. Deniquè id indẽ cõsecutum est, vt quem pius Abbas Hugo zelo charitatis idiotam & agrestem esse antea perimuerat, eum doctrinæ fructibus abundare, & oratoris facundia non mediocriter pollere, non sine multo gaudio expertus sit. Liber autem eius Hugonis vel breuissimam hoc loco historiam inserere: Fuit corpore & animo castissimus, elemosynis & orationi iugiter intentus & additus, monasticæ disciplinæ custos & promotor instantissimus, perfectorũ monachorum & personarum ecclesiastico cultui idonearum nutritor perpetuus, sanctæ Ecclesiæ procurator & propagator mirè feruens.

Visitat deuotionis causa cœnobiũ Cluniacense.

Hugonis Abbatis Cluniacensis virtutes.

Vt verum se pastorem etiam cum vitæ periculo declarãrit, vtque vi repulsus ab ecclesia sua, patienter tolerãrit. Cap. 30.

Occupabat tum sedem Sueffionum ille non matris ecclesiæ electione, sed palatij iure Episcopus Vrsio, Geruasij regij dapiferi germanus frater, vtcebaturque interim rebus Episcopi, fretus Regis fauore, quem ei frater conciliãrat. Venienti ergo Arnulpho Episcopo, & Sueffionum vrbem ingredi volenti, fit obuius Geruasius cõturbator armatorum, monetq; eum, nè in ciuitatem intret, nisi mori velit. Ei vir Dei constan-

stanter respondet: Apostolus Iohannes dicit, perfectam charitatem foras mittere timorem. Et quia mihi viuere Christus est, & mori lucrum, obedientiam præcepto Apostolico mihi iniunctam implere conabor, nè si non obediã, à Domino merear reprobari. Habeat me Dominus Deus aut martyrẽ, si interficior: aut confessorẽ, si euado. Charitas enim Christi vrget nos. Itã dicens, animal cui infidebat, vrget calcaribus, vt ocyus se in urbem recipiat. Sed Geruasius iniecta manu in franũ iumentu, illud cum fessore retrahit, cogitq; retrocedere. Tum vir Dei statim cessit obstitit: atq; itã quantum, licuit obedientiã mandatũ impleuit, sedemq; quã non concupierat, tranquillo animo interim deseruit, pietate eam excolens, quam videbatur corpore reliquisse.

Verumenimuerò cum sedes non faciat Episcopum, sed Episcopus sedem, & virtus maiestatis per loca nõ scindatur: in quodam castello eiusdem diocesis, quod Vlciam cum vocant, fouente illum Comite Theobaldo, mansionẽ & sedem sibi constituit: vbi conuenientibus ecclesiarum prælatis & senioribus è Clero, accurrentibus etiam promiscuis populorum turbis, poenitentiam confessis, & lapsis reparationem multa aueritate fideliter ac strenuẽ procurabat. Aduolant populorum cateruæ, sanantur ægroti, aduentantibus frequens prædicatio impenditur, animarum & corporum vlcerantur, Ecclesiã passim consecrantur, diuinã laudis officia sacrosancta egregie instaurantur. Lætantur omnes Ecclesiã reformatum decus & venustatem, quæ Vrsionis incuria non mediocrem iacturam fecerat.

In præfens vitæ discipulo. Men se conijcit obedientiã studio.

Mutat sedẽ quia nõ sedes Episcopi, sed Episcopus sedem facit.

Curat Euerolphum presbyterum morti propinquum, eiq; futura prædicit. Cap. 31.

Commorante viro Dei in illo castello, Euerolphus monachus & presbyter, sancto Episcopo valde deuotus & impensè charus, in morbum incidit grauissimum: cumq; se moriturum crederet, rogauit Episcopum, vt faceret olei Vnctionem ipsi impertiret. Episcopus verò ait ad eum: Intempestiua sunt, quæ postulas: quibus ego causa non annuo, quòd sciam cõtraria dispositioni diuinã. Non enim ego te aut vngam, aut sepeliã: sed tu me alio & loco & tempore vnctionis & sepulturae sacris officijs prosequeris. illo dicente, fieri id nõ posse, cum Episcopi vel Abbates Episcopum debeant sepelire, vir Dei respondit: Scias certissimè ad me vngendũ & tumulandum nullum adfuturum antistitem vel Abbatem: sed tuæ charitatis ministerio, quicquid eius est, circa me completum iri. Sic locutus, manum ægroto imponit, & pulso morbo, reddit incolumentem.

Sanat moribundum.

Mira in sancto viro futurorum prænotio.

Cuiusdam furtum spiritu prophetico prodit. cap. 32.

Multis ad eum turbis confluentibus, quarum ille morbis curã sedulam nauabat operam, quodam die è loco superiori per fenestram prospiciens, videt in platea hominem sub planca, quam ferebat, mirè sudantẽ: mox ait ad circumstantes: Plancã istam rapuit hic homo. Aiunt illi: Vndè hoc scire potuisti domine? Respondet vir Dei: Pro comperto habeo raptu eam partam esse. nam dæmon author rapinæ, collo eius insidens, eum miserè præmit. Mox vnus ex illis, celeri cursu abit ad hominem, asciscitur vndè habeat plancam, quã itã anhelus baiulet. Ille fatetur apud pagum Nantolium in quadam se congressione adfuisse, & eam ad se plancam rapuisse. His auditis, festinus reuertitur ad eos, qui illum miserant, nunciatq; ipsis stupentibus vera dixisse Episcopum.

Videt dæmonẽ præmentem furtum.

Quinque panibus & totidem vini mensuris satiat plus quàm septingentos homines Cap. 33.

Quodam tempore cuiusdam pagi Ecclesiã dedicaturus, ait ad famulos suos: Tali, quãso, itinere ad eam Ecclesiã nos perducatis, vt populus nesciat, quã venturi simus. Nonnihil quoquẽ alimentorum vobiscum feratis, vt fessa ex itinere corpora possimus vel paululum recreare. Itaque iter longinquum & deuium arripitur, nec tamẽ potest ardor populi compeisci. Breui temporis spatio grandis ad eum multitudo confluit. Id cernens vir Dei, in Dei laudes erumpens, ait familiaribus suis: Quicquid escarum habetis, proferte, vt post laborẽ vires reparemus. Confestim exhibentur quinque panes monastici, quos vulgò crudas micas vocant, & totidem vini mensurã, vt habet censura monastica: stratisq; in herba tapetibus, vir Domini refidet, profusa illum turba vndiquẽ ambiente: benedicit panes illos, paucos quidem numero, sed numeri mysterio multos, iubet omnibus præsentibus ex illis distribui, vinũ quoquẽ

Miro modo quoque ad satietatem porrigi. Accidit tum res admiratione digna. Nanque panes illi & vinum tam abunde omnibus suffecere, vt bene refectos & abunde fatiatos farentur. Et tamen prater Episcopum & comites eius, illi, qui manducarunt amplius septingenti fuere.

Robertum Flandriæ Comitem inexorabilem conciliat quibusdam ab illo proscriptis. Cap. 34.

Sedit in
suos proce-
res Robertus
Flādiæ
Comes.

Robertus Flandriæ Comes infestus fuerat quibusdam gentis suæ primarijs & di-
toribus viris: qui pertæsi onerum, quibus ab illo premebantur, inter se tracta-
bant, vt illo profligato, humaniorem sibi principem adsciscerent, nempe Balduinum
Comitem Montis Castrorum. Id vbi resciuit Robertus, somno conatu intercipit il-
los ceu proditores, atq; alios ex ijs proferibit, alios perimit, nonnullos rebus & hono-
ribus nudatos, iubet in exilium proficisci. Inter eos etiam Arnulphus Morinorū Ar-
chidiaconus & ecclesiæ S. Audomari Præpositus, omni dignitate sua priuatus, multo
tempore vixit profugus: sed tandem ad se rediens, Gregorium Romanum Pontificem
adit, qua calūnia gradu & honore suo spoliatus sit, lachrymabundus ei exponit. Tan-
tam verò eius calamitatē miseratus Pontifex, literis suis ferocem & truculentum Ro-
berti animum statuit lenire, vt illis, quos suspectos habebat, aut planè ignosceret, aut
certè facultatem sese purgandi nō negaret. Sed cum nemo possēt inueniri, qui Ponti-
ficis literas tam offenso principi exhibere ausus esset, res diū protracta est. Tādē ani-
mo succurrit constātia sanctitatis & feruor charitatis Arnulphi Sueffionū antistitis,
cuius tū in curia Pontificis celebris fama innotuit, & quod is proculdubio incunctan-
ter oblaturus esset Roberto Comiti scripta Pōtificis. Tū verò animatus Pontifex, Ar-
nulpho diploma mittit, mandās ei, vt literas intercessorias, & personas de quibus age-
batur, ad Robertum Comitē secum adducat, illisq; vel veniā, vel saltē se purgādi co-
piam obtineat pro sedis Apostolicæ honore. Itā ille vir pietate fortis, gemina instiga-
te iustitia, obedientiæ & fraternæ condolētia, cum quibusdā ex illis venit ad Insulam
ciuitatem, atque illi reperto Comiti obtulit sacras Pontificis literas. Quæ cum lege-
rentur, illi, quorum res agebatur, clam se submittentem, eius tenuere pedes. Sed ô fu-
rorem, & rabiem, ô fellis acerbam commotionem, quæ tum in fronte, oculis & toto
Comitis vultu visibatur: quandò sensit eos quos oderat, suos apprehendisse pedes.
Ecquid verò illa ferocitas in sancti viri præsentia faceret? Adfuit cōtinuò gratia Dei,
& tum sanctitatis eius contemplatione, tum pro Apostolicæ Sedis reuerentia, salus,
vita, res & facultates illis donatæ sunt. Laude dignis, laudabiliora succedunt.

Insula ciui-
tas Flandriæ
Gallicanæ.

Flectitur ei
præsentia
Comes in-
exorabilis.

Componit atroces aliquot Flandriæ ciuitatum dissensiones & cædes mutuas. Cap. 35.

Sedit atro-
ces simulta-
tes.

Eodem enim tempore quibusdam Flandriæ locis quotidiana fiebant cædes, & in-
fatiabilis grassabatur sanguinis humani fundendi libido, qua totius regionis pax
& quies perturbabatur. Itaque permulti nobiles magnis precibus vix obrinuerunt
viro Dei, vt loca, in quibus atrocior sæuiebat crudelitas, adiret, & Flandrorū indoci-
les cruentosq; animos, ad pacem & concordiam vtcunquē permoueret. Itaque fata-
nicā illam rabiem, qua Brugenses, Furnenses, & Aldenburghenses in mutuas cædes fe-
rebantur, vir Domini verbo mellitæ prædicationis & paternæ adhortationis instan-
tia, propemodum ad mansuetudinem redēgit, hominumque illorum crudeles ani-
mos ad concordiam, licet immenso labore, reuocauit. Et vt paucis multa expediam,
quod mille argenti libris impetrari non potuisset, id gratia Dei per seruum suum in
illa regione efficere dignata est.

Cæcam mulierem in multorum præsentia sanat. Cap. 36.

Voatur à
Rogerio Co-
mite ad de-
dicandam
Ecclesiam
suam.

PER id quoque tempus Rogerus Comes Porcensis, missa ad beatum Arnulphum
fida legatione, summoperè rogauit, vt veniret ad dedicandam Ecclesiam, quam
in castro, quod Caluum mōtem appellant, ipse condiderat in Rhemensis territorio:
pollicens se multa in eius ecclesiæ vsus collaturum, modò sanctus præsul velit conse-
crationis explere ministerium. Vt autem more comparatum est, Cleri consilio dies
dedicationis statutus est, & per loca opportuna publica voce populis denunciatus. Nec
verò dici satis potest, quanta populi frequentia eò aduenerit. Venit autem etiam ex
pago Cauniaco mulier, quindecim annis cæca, quæ, impetrante Comitissa, se ad beati
viri

virī vestigia prostravit, clamans & dicens: Serue Dei: miserere mei, & digitis sacre de-
xtræ tuæ oculos meos continge. credo enim tuis meritis me curatum iri. Aderant ibi
nobiles & illustres psonæ, à Comite Rogero inuitatæ, in quibus erat Ingelrannus Ar-
chidiaconus, postea Laudunensis Episcopus, Rudolphus viridis, postea Rhemorum
Archiepiscopus, nonnulli item Abbates & proceres: ad quorum præsentiam vir Do-
mini pro sua modestia nonnihil verecundatus, submisit ait ad fœminam: Quid tibi,
mea foror, contactus noster prodesse valebit? Illa fidei calore succensa: Permultum,
inquit, tuus mihi tactus proderit: tãtùm velis, quæso, digitos tuos in oculorum meo-
rum cauernulas in Christi nomine immittere. Hac voce ille victus, & quasi vim pa-
tiens, signo sanctæ Crucis edito, digitos misit in oculorū eius loculos, ita dicens: Fiat
tibi secundum fidem tuam. Mox illa, apertis oculis, clarè vidit. Ea re Clerus multum
exhilaratus, in præpotentis Dei laudem cantauit, Te Deum laudamus.

Signo Cru-
cis & man-
sue conta-
ctū restituit
cæcæ visum

*De Gerico viro nobili, sed valde flagitioso, sancti viri precibus animo
& corpore sanato. Cap. 37.*

Cum a huc militiæ actibus implicatus esset vir Dei Arnulphus, sodalem habuit
Gericum militē: qui, illo se seculo abdicare, totū se rapinis addixit, & nec Deum
timens, nec homines, viduas & pupillos perpetuò oppresit. Eam illius flagitiosam
vitam ubi comperit vir Dei, Christum deprecatur, vt aliqua occasiōe cogeret eum
corrigere pessimos mores suos, & Dei timorem cogitare. Interea Gericus mundi pro-
speritate florēs, Iuditham, ipsi nobilitate parem, ducit vxorē, procreat liberos, & an-
nis permultis cum tota domo sua mira felicitate potitur. At postea morte tolluntur
filij, & intrā paucos annos nec vnus manet superstes. Illum quoque vehemēs corripit
morbus, qui eum ad menses quadraginta sic lecto affixit, vt quotidie mors illi ob ocu-
los versaretur. Porrò cognati, cernentes eum prole carere, eius terras & beneficia sibi
cupiunt vindicare, vxorem eius Iuditham omni dote priuare, & à tota mariti hære-
ditate extrudere. At illa sentiens omni se solatio destitutam, cōuersa ad Dominum,
eius opem implorat: & recordata serui Dei Arnulphi, cum multo gemitu ait ad ma-
ritum moribundū: Charissime coniunx, ecce mortui sunt filij tui, & cognati inhiant
facultatibus tuis, & iam sermonem malignum sibi firmauerunt, vt te sepulto, me tur-
piter eiciant, nec coniugem me tuam agnoscat. Quæso igitur, audi consilium te im-
pense amantis coniugis tuæ, & animo promittas Deo, te curaturum, vt hac nocte le-
thica veharis ad Arnulphum fidelem seruum eius, & tuum quōdam sodalem & ami-
cum. spero enim ita fore, vt pater misericordiarum & dolores tuos, & meum mæro-
rem respiciat. His auditis, ille parumpèr cogitans, Sapienter, inquit, isthuc confulis, &
ego optimo consilio libenter parens, polliceor me ita ocyus facturum. Mox igitur le-
thica equestri vehitur Sveffiones, & ubi viro Dei in sua Cella cōmoranti eius aduen-
tus innotuit, lætabatur ille adesse hominem, cuius olim in militia sodalitate aman-
ter vsus esset, iubetque illum ad se perducī, aitque ad eum, amicissimè illum obiurgans:
Fratr Gerice, tu miles optimus tuis, pessimus tibi, qui tandiū irritasti præpotentem
Deum, in rapinas incumbens. Crede mihi, parū abfuisi ab interitu, nimis diū in
faucibus Leuiathan hæsisisti: sed gratias ago Domino Iesu Christo, quòd non despexit
lachrymas meas, teque hac ægritudine impediuit, nè plus satis rapinis incrassatus, fie-
res efca tartarico draconi. Noueris ergò diuturnis precibus à Domino me impetrasse,
vt hic morbus te corripere, vt vel inuitus cessares ab opprimendis pupillis & viduis,
& rapinis consecrandis. En quanto te immensa misericordiæ suæ beneficio affectit
Deus, vt agnoscas te nequiter egisse, & tot flagitiorum infamia celebris, dentes leonis
posse euadere. Sed dices fortassis: Cuiusnam leonis? Audi Petrum Apostolum, im-
mò Christum in Petro loquentem: Aduersarius vester diabolus, tanquam leo rū-
giens circuit, quærēs quem deuoret. Huius leonis rictus sola Dei benignitate euasisti.
Iam porrò da operam, vt ab eius tyrannide prorsus libereris. Respondit Gericus: Equi-
dem, mi pater, eo voto eaq; deliberatione ad tuam sanctitatem properavi, vt ad præ-
scriptum consilij tui, mea deinceps vita componatur: nec aliud faciam, quam quod
tibi visum erit. Tantum pro mea miseria & calamitate Dominum instanter ora, vt
possim corporis adipisci sanitatem. nam quod ad animæ salutem attinet, sanctè pol-
liceor, me posthac nihil scientem admissurum contra leges diuinas.

Gerico eius
commilito
homo fla-
gitiosus.
Efficacia
precū sancti
viri.

Casti gatur
Gericus dia-
uinitus.

Venit ad S.
Arnulphū,
olim sodale
suum.

Vide quom-
modo san-
cti viri oratō
pro malis.

i. Pet. 5.

ces tuas, agnosco necessitatem tuam: sed promitto tibi in Christi nomine, aduentum ad me vestrum, non fore inanem & infructuosum vobis. Itaque certo noueris, respexisse Dominum contritionem tuam, eumque, te exhilaraturum propter fidem operam, quam nauasti marito tuo in doloribus eius. Is enim, quia iniquitati nuncium remisit, iam perfecte curabitur, & tu ex illo filium concipies Lambertum, iubente Deo, hac ipsa hora anno euoluto nasciturum. Is in paternam hereditatem succedet tuam, que nutriet & fouebit senectutem: nec morieris, donec videas sobolem illius. Volo igitur & hortor, Gerice charissime, ut deinceps viam iustitie insistas, Ecclesiam Dei & sacrum Clerum honores, pauperibus nihil auferas, immo etiam ablata restituas, eleemosynas largas assidue prestes, decimas tuas nunquam apud te retineas, agros tuos colas, principi tuo & æqualibus fidem serues & veritatem, ex iustis possessionum tuarum redditibus vitam sustentens, colonis tuis humanum & clementem te præbeas, pro collatis beneficijs Deo perpetim gratias agas, diuinis officijs quotidie interesse conaris. Itã tibi facienti adierit gratia Dei, dabitque pacem rebus tuis, & bono fine poteris. Qui verò lectica huc apportatus es, Deo fauente, eques hinc recedes bene sanus. O diuinæ bonitatis incomprehensam benignitatem & clementiam, fidelem seruum suum tot virtutum donis ornantem, ut & cõuersatio eius in cælis sit, & vitæ meritum etiam alijs prosit. Quantum enim licet intelligi, Gericus iste ob suam peruersitatem mortuus fuisset, nisi eum assidua beati Arnulphi preces conseruassent. Denique pro pitio Deo, recessit sanus: domum reuersus, anno elapso, eodem die filium ex coniuge suscepit, qui ei hæres successit, matremque humaniter sustentauit, eoque, ut erat a viro Dei prædictum, in corpore manentem, donec ex legitimo matrimonio ipsius filios procreatos videret.

Adolescens conciliari hostibus nolentem, à demone arreptum vir sanctus sanat. Cap. 38.

Iste pagus Flandriæ primus, distat tribus miliaribus à Brugis.

Eximia sanæ tantum viri humilitas & charitas.

Aqua benedicta sanat demoniacum.

Vult vlscerem filij Vuilhelmi milca.

Quo tempore vir Dei inter Flandros pacem componere nitentur, in pagum Turholt venit, agente demone, contentionum & rixarum flammis ardentem. Hortante autem sancto viro propinquos eius, cuius sanguis fusus erat, ut pacem amplecterentur, & satanæ incendia sopirent, adolescens quidam Herradus, Herradi presbyteri filius, malebat furda aure pacis consilia contemnere, quam vel se, vel alios ad pacis studium accommodare. Ea causa ex atrio ecclesiæ, in quo stabat Episcopus, exire voluit, ne salutares eius admonitiones audiret: dictumque est Episcopo, abire illum, qui per maxima pars esset turbæ huius. Confestim illum sequitur sanctus Episcopus usque ad Comitum stationem, atque ibi in humum se abiciens coram illo, humiliter orabat, ut pacem non respueret. At ille iuuenili arrogancia tumidus, noluit illic consistere, sed veritus, ne ab alijs detineretur, celeriter aufugit. Ecce autem fugientem arripit malignus spiritus, ita ut amentia affectus, seipsum dentibus & unguibus laceraret. Id conspicati amici & affines eius, vinctum pertrahunt ad virum Dei, plurimum obsecrantes, ut superbo & fatuo ignoscat, & iniuriam illatam voluntaria obliuione conterat. Vir Dei respondit: Iniuriam pro veritate irrogatam libens amplector, sed cordis eius duritia me dolore afficit. Si ergo vultis, ut pro eius liberatione Dominum exorem, fidem certam detis, vos omnes, velut nolit ille, pacem firmam conseruatos: & si quas ille rixas aut seditiones excitarit, neminem e vobis suppetias ei laturum. Omnes vna voce dixerunt: Anathema erit inter nos, quisquis illi opem tulerit, nisi in ijs, ad quæ tu nos hortaris. Illa promissione flexus Episcopus, aquam cum exorcismis consecrauit: qua adolescens ille conspersus, mox malo demone liberatus est, & mentis bene effectus, pacem & concordiam sanctè coluit.

Meritum sancti viri, quidam ab hoste percussus, mortem euasit. cap. 39.

Accidit in eodem pago Turholtensi aliud quiddam non minus admirandum. Miles quidam Aldenburghensis, Vuilhelmus nomine, statura & cognomine Longus, filium adultum habuit, in rapinis plus satis præcipitem & propensum. Is cum vellent aliquando cuiusdam res diripere, ab illo interfectus est. Eius eadem pater Vuilhelmus vlsceri volens, percussori struebat insidias, sed frustra, donec circa S. Iohannis ferias ad nundinas Turholtenses eum venientem, ut vestem sibi compararet, in ceruice gladio percussit, & exanguem, non tamen mortuum, in corbem quandam abiecit. Mox verò fit tumultus in nudinis, existit clamor & indignatio in populis, quod violata esset pax,

set pax, principis priuilegio communita. Curritur ad Comitem, qui praesens tum ad-
erat in domo sua Turholtensi, dicitur ei, magnum ipsum ignominia affectum, pace
maiorum eius legibus sancita, cuiusdam audacia violata. Procedit in publicum Rober-
tus Comes stomachabundus, iubet quamprimum percussorem & percussum sibi
exhiberi. Interim audit a militibus suis, Vuilhelmum Longum id facinus designasse,
vt filij necem vindicaret. Tum verò Comes nonnihil mirefcens, ait: Vuilhelmus do-
mesticus miles meus valde errauit, qui eadem filij post conciliatam olim sancti Ar-
nulphi Episcopi opera pacem, vlcisci voluit. Cumque ante illum adducti essent Vuil-
helmus, & ab eo percussus, ceruix hominis percussu nō gladio incisa, sed rubri filij ve-
stigia praeseferre videbatur. Ait ergo Comes ad Vuilhelmum: Equidem miror te
meritarem, sed non paulò plus imbecillitatem tuam. Si enim filij mortem vlcisci vo-
lebas, cur te non puduit tam molliter ferire, vt manus femineae potius, quam virilis
roboris vestigia in huius ceruice appareant? Agnosce igitur nutu Dei id ita enenisse,
qui, vt merita sancti serui sui declararet, non permisit illam ceruicem vulnerari, qua
tanti Pontificis ministerio vltro fuit paci addicta.

Eccē quo-
modo vuln⁹
hominis ce-
si, diuinitas
sit curatum.

Nota quan-
tū Comes
tribuat me-
ritis sancti
viri.

In pago Gi-
stellensi fuit
occisa S. Go-
doleua mar-
tyr, vt habet-
tur 6. die Iu-
lij Tomo
praesenti.

Quinque morbos miserè decumbentes, precibus & aqua sacrata sanat. Cap. 40.

IN parocia Gistellensi est quaedam terrae vena nigerrima, interdum rubra, quae cre-
bris paludibus intermixta, non facile poterat adiri. Atque in ijs locis moratur genus
hominum atrocissimum, qui omnem gentis huius ferocitatem, innata eis audacia
animi, superare videntur. Ad ea ergo loca vir Domini pertractus, vt eorum seruitu-
am nonnihil moderaretur ac comprimeret, à quadam foemina compellatur, cum la-
chrymis & singultu ita dicente: Serue Dei, miserere mei, & nē recuses venire in tu-
guriū paupertatis meae, visurus multiplicem materiam doloris & calamitatis meae.
lacebant enim in lectulis quinque filij eius, vno eodemque languore affecti, nec po-
terant mutuam sibi vlla in re operam praestare, aut aliquid ferre subsidij. Ait ergo
mulier: Vide serue Dei, quanta sit miseria mea, quis me dolor obtineat, quo animi
mœrore occuper. Seruio sola quinque viris, propero ab alio ad alium, & tamen non
possum satisfacere ministrando. Tum vir sanctus praemulta commiseratione ingemi-
fcens, orauit Dominum: deinde aquam consecraus, totam domum & agrotos illos
conspersit, atque ad eos: In nomine Domini nostri Iesu Christi properè facessat
morbus iste, & vos quamprimum reualescentes, matris vestrae vsque adeo afflictæ mi-
nisterio non egeatis. Derepentè adest virtus Saluatoris, & omnes prorsus incolu-
mes è lectis surgunt.

*Folcardus quidam, nolens audire virum Dei, à demone vexatur: sed
à sancto viro purgatur. Cap. 41.*

Folcardus quidam Gistellensis homo, alacer & robustus, sed non tam vtilis, quam
arrogans & superbus, beatum praesulem contemnendum putauit, nec audire vo-
luit, de pace concilianda loquentem. Cum ergo viri Dei conspectum fugeret, mox
vitori spiritui traditus est, & ab illo miserè discerptus ac dilaceratus, ita vt ab amicis
& propinquis vix posset coërceri. At tamen non sua fide, sed aliorum precibus per
beatum Pontificem demone purgatus, didicit ex ea vexatione, quo erga sanctum
virum amore & reuerentia vt debuisset.

Purgat ob-
festum.

*Nobilis vidua respuens sancti viri de pace consilia, repentina domus sua euer-
sione perit, saluis alijs omnibus, qui erant in domo. Cap. 42.*

Apuđ castrum Furnense habitabat vidua quaedam nobilis & opulenta, nomine
Euregarda: cuius maritum & filium hostes atrociter peremerant, & propter
eam eadem magnas inimicitias susceperant. Earum autē amoliendarū causa accer-
sus sanctus praesul Arnulphus, vti semper consueuerat, vbi de pace & concordia esset
agendum, spontè proptèque eò properabat. Venit ergo a fello vectus ad domū illius
viduae, quam illa Apostolica perfringebat vox, Vidua, quae in delicijs est, viuens mor-
tua est: sed ea nullo pacto ferre voluit, vt ad ipsam ingrederetur: ponteque pensili
adducto & suspenso, aditu eum prohibuit, nē posset efficere quod volebat. At ille
tamen non destitit admonere, arguere, obsecrare, vt mariti & filij percussoribus ve-
niam daret pro animarum eorum refrigerio, & quos immani odio persequeretur,
eos ad amicitiae foedus admitteret. Illa verò nec preces, nec admonitiones eius audi-
ens, tumenti animo Christi seruum contemptim irrisit, & contumeliosè à se repulit:
sed non impunè. Nam cum ab ea Praesul gemebundus recederet, diuina eam animad-

In hac ciui-
tate Furnen-
si seruarur
media pars
corporis S.
Vualburgis
& fratris ei-
us Vuilbal-
di.

1. Tim. 5.

Vidua pro-
cax terribi-
liter à Deo
punitur.

nerfio terribiliter persecuta est. Post paululum enim, cæli serenitate manente, quidam leuis turbo domum eius concussit & euertit, eamque repentina morte oppressit. Accidit tum res sanè multa admiratione digna. In eadem enim domo aderant famuli & ancillæ, aderant porci, canes, magnus columbarum grex, anseres, gallinæ: & tamen illis omnibus saluis & illæsis, sola procax mulier interiit.

Funditus extincta, docuit non dogmata ficta,

Quæ monuit sanctus, vindictæ pondere tantus.

Fœmina sic fortis, iustè fit filia mortis.

Sanctus vir prædicit sororem suam, licet auide id expetentem, ipsum viuum non conspexituram. Cap. 43.

Oda S. Arnulphi soror

Prophetica
sancti viri
vox.

HAbuit venerandus antistes sororem Odam, quæ ab infantia sacris eruditionibus instituta, in virginitate voluit permanere. Ea iam grandæua & Deo sacrata permanens, magno Hierosolymæ, toties in scripturis memorata, pia deuotione inuisendæ desiderio accensa est. Cumque eò peruenisset, per nuncios, quos habere poterat, sæpè obsecrauit fratrem suum beatum Arnulphum, vt à Domino impetraret, nè prius alter eorum moreretur, quam mutuo conspectu potirentur. Cum ergo vir sanctus postremò Aldenburgi maneret, & obitum suum cælitus didicisset, quidam nuncius adueniens, ait sororem eius iam redeuntem superâsse Alpes, & valde accelerare iter, vt possit ipsius conspectu frui. Tum vir sanctus ait: Oda soror nostra & germana in Domino, quantunuis properet, frustra id nititur consequi, quod fieri non potest. Videat & contempletur actus nostros, diuinique timoris studium: nam faciem nostram in corpore deinceps nunquam visura est. Illa interim pudicissima fœminâ mirè festinans, quandò Aldenburgum est ingressa, iam octo diebus vir sanctus sepulchro tenebatur: sicque tanto conatu frustrata, virili animo ad illam se visionem extendit, quæ nullo dierum numero finitur. Nos quidem tantam futurorum præsentiam in beato viro admiramur.

De campanis admirabiliter suo loco restitutis. Cap. 44.

Ecclesia Aldenburgi à B. Vrsimaro extracta.

In nocte
natiuitatis
Dominicæ
subuertitur
Aldenburgi.

Nota miraculum.

Mar. 16.
Moribidos
vt curant.

A Mabant medullitus virum Dei omnes eius loci incolæ, & summo perè cupiebant illum apud se perpetuò retinere. Itaque modis omnibus disquirunt, quonam loco honestè apud ipsos possit residere. Erat Aldenburgi ecclesia, in B. Petri & omnium Apostolorum honorem antiquitus fundata, diuinis miraculis celebris. Eam ergò laicorum dominio prius expeditam & liberâ, per manus Radbodi Tornacensis Episcopi conferunt viro Dei Arnulpho, vt illic sibi habitationem pareret, & futuri monasterij fundamenta primaque initia inchoet. Habet seniorum traditio, eam Ecclesiam sub Dagoberto Rege Francorum à beato Vrsimaro conditam, quæ etiam diuina maiestas multis reuelationibus & miraculorum signis crebrò illustrauit. Ibi enim cæci receperunt visum, claudi & contracti erecti sunt, muris instaurata loquela, surdis auditus reformatus est. Porro anno Dominicæ incarnationis millesimo octogesimo primo sancta Dominici natalis nocte vehemens ventus existens, turre vibium & recta domorum & permulta ecclesiarum ædificia concussit, fregit, euertit, campanarium ecclesiæ S. Petri à suis cardinibus euulsam, in tectum turris, in qua fuerat, ad orientem impulit, ita vt sex noctes & dies sic pendulum cerneretur, tanquam semper esset ruiturum. Manè loci incolæ celeriter conuocant architectos, proponunt præmia, si possint illud in suum locum reuocare. Multa illi promittunt, restes præparant, multa inter se ligamina colligant: & ecce dum populus illorum molitiones sustinet, quibus sperabatur campanarium restitutum iri, pridè Calendas Ianuarij ante noctis medium sub ignis specie quædam à cælo virtus adueniens, campanarium quidem in suas sedes firmissimè reposuit, templum verò intus & foris miro lumine compleuit. Hæc quidem ego referre ausus non essem, nisi restes amplius mille ea se vidisse affirmassent.

Fœminam sanat manûs impositione &c. Cap. 45.

Solebat vir sanctus, Catholicæ fidei propugnator, ægrotis ad ipsum remedij causa accedentibus, mox edito signo Crucis, manum imponere, & verba Dominica proferre, tertio sic dicens: Super ægros manus imponent, & benè habebunt, quibus prolatis, fugiebant morbi, sanitas redibat. Id verò non ignorans quædam mulier Aldenburgensis, cum nimis premeretur doloribus, venit ad eum, & cum lachrymis quæsta est, quid pateretur. Episcopus ergò manum ei imponens, ait: Secundum fidem tuam fiat tibi, simulque ei benedixit, mox dolor omnis abscellit.

Rede

Redit ex Flandria ad Sueffiones, & rursus viuit solitarius in multa asperitate. Cap. 46.

FVM locum, quem paulò suprà diximus canonica traditione illi donatum, fratribus quibusdam ex ijs, qui ei aderant, commēdauit repurgandum & instaurandū, atque vt monastica ibi posset vita institui, commodis ædificijs instruendū. Porro ipse ad sedem Sueffionēsem se recepit, vbi sanè ab omnibus cupidè acceptus, & multo fauore & studio tractatus est. Peruenit autem ad eius notitiam Regis Philippi in quibusdam culpanda vita, & perpetua dissimulatio eorum, quæ cum coërcere oporteret, indiscreta quoquē Episcoporum & Abbatum promotio. Itaque magno afficiebatur tædio propter ea mala, quæ passim fiebant, nullo rempublicam moderante gubernatore, & illa quoquē nobili Rhemorum moderatione tepescente, propter metropolitanam iuris ereptionem: ita vt consultius putarent homines pij abdere se in solitudinem, quàm multorum contentiones & tumultus excitare. Illam ergò compunctionis nutricem, illam vigiliarum & psalmodiæ regulam, illā quietis & diuinæ contemplationis amicam inclusionem repetijt vir beatus, eligens abiectus esse in domo Dei sui, magis quàm abire, stare, sedere in qualibet diuinæ legis transgressione. Nouerat enim potentes potenter tormenta passuros. eam ob rem declinauit à malis, vt totis viribus faceret bona, essetque paratus & peruigil ad confestum aperiendum Domino pulsanti. In ea autem inclusionem vitam vixit valdè arduam, & virtutum studijs addictus, fame & siti, ieiunijs multis, frigore & nuditate se afflixit, semper occupans mentem suam scientia Dei, charitate non ficta, verbo veritatis, in virtute Dei, in longanimitate, in suauitate, in spiritu sancto.

Redit ad
cathedrale
suā residen-
tiam.

Impesē do-
let pleraque
non rectè
fieri.

Sap. 6.
Psal. 36.
Luc. 12.

2. Cor. 6.

Redit accitus in Flandriam, & in itinere reuelatur ei obitus suus. Cap. 47.

Rvsus autem emergentibus quibusdam rebus importunis, nobiliores quiq; Aldenburgenses cum Euerolpho presbytero statuerunt ire ad virum Dei, & omnē Flandriam mouere lapidem, vt eum reducerent in Flandriā, rebus illis & causis finem modumq; impositurum. Annuit eorum votis vir sanctus, & quidem libens, crebroque ait ad illos: Quod ego nunc, filii, in Flandriam proficiscor, non tam vestra est voluntatis, quàm dispositionis diuinæ. Cum autem Atrebatum venissent, vidit vir Dei non longè ab vrbe agellum virentem, in quo se ait parumpèr velle quiescere. Celeriter ergò ab equis desiliunt comites, & stratis humi vestibus, quietis captandæ locum ei parant. Post breuem quietem surgit ille, solito alacrius sanctum nomen Domini benedicit, eiusque alacritatis causam exponens, ait: Noueritis charissimi, me posthac nūquam in Franciam reuersurum. Nam sub hoc breui spatio, quo corā vobis dormitavi, ostendit mihi Dominus, vbi Aldenburgum venero, me paulò post moriturum, & in S. Petri ecclesia locum sepulturæ, à Domino destinatum, habiturum. Ex voces multo stupore & gemitu eos, qui aderant, compleuerunt: at tamen illo præsentem nulli fas erat aut immodico mœrore contrahi, aut inepta lætitia dissolui. Tantum enim illi homini Dei & autoritatis & gratiæ inerat, vt illū videre & alloqui omnes appetent, cum tamen illum aliqua re offendisse, grandis piaculi loco haberent.

Atrebatum
situm est in
Atrebia.

Diuinitus
ei reuelatur
obitus suus.

Gravi morbo correptus, non vult sacram Vnctionem accipere, certus de die obitus sui, & ideo differens eam Vnctionem in tempus opportunum. Cap. 48.

MEnsis Iulij die decimo octauo incolumis & virtutum fama celebris venit Aldenburgum, & septem diebus illic benè sanus euangelizauit regnum Dei. Inde verò acri morbo correptus, decubuit vno & viginti diebus. Cumque iam in extremis positus videretur, suggererunt fratres, vt sacris officijs se curaret præmuniri, nè sine ijs è vita exiret. Quibus ille mitissima voce respondit: Non vos isthuc sollicitos habeat, charissimi filij: satis enim ex Dei benignitate sentio, quid vel quando mihi expediat. Noui tempus & horam, & eius vos opportunè commonefaciam. Vicefimo inde die, postquam decubuit, qui tum erat sexta feria, sub noctis medium cella, in qua iacebat, mirabili tremore & horrifico fragore tertio concussa est, ita vt à fundamentis euerti videretur, & monachi cum famulis, qui apud illum excubabant, intollerabili percussu timore, cellæque ruinam formidantes, aufugere percuperent. At illos vir Dei blandis verbis consolans, hortabatur vt se quieti darent, certi nihil ipsos incommodi passuros. Ait autem ad eum Euerolphus presbyter: Domine mi, terra contremiscit, cella colliditur, ostium iam tertio à me diligenter obseratum patescit, turbarum murmure locus circunsonat: & quinam inter tot terrores nos possimus somnum

Cella eius
decubentis
multo fra-
gore concu-
titur.

somnum capere? Respondit vir Dei: Nè paucas, dilecte frater, sunt enim hæc omnia diuinæ maiestatis signa. Porro post paulum dicam tibi, quæ vis cellam quassauerit & hunc terramotum effecerit.

Sub obitum celestibus visionibus fruitur. Cap. 49.

Sancti illi
morituro
apparent.

Proximo indè sabbato, sentiens mortem imminere, dixit fratribus: Parate iam funeri necessaria. nam sub noctis initium decedam, ut mihi Dominus, cui pro viribus seruire conatus sum, hesternæ nocte reuelauit, cum ille tremotus & aëris concussio fragorem cellæ excitaret. Sub prima enim quassatione beatus Petrus Apostolus ad me venit, significans mihi peccata remissa, & vitæ ianuam patere. Aderat illi beatorum frequens cœtus, laudes diuinas continenter modulantiū. Sub altera quassatione cum multis Angelicis spiritibus sanctus Michaël me inuisit, pollicens, se duce, me ad beatam vitam ingressurum. Tertia concussione adfuit Domina nostra, vera misericordiæ mater, multis stipata sanctarum virginum agminibus, benignissima voce me certiozem efficiens de anima mea inter Assumptionis eius gaudia in celos transferenda. Sed vos omnes obtestor, fratres mei, per Christi misericordiã, nè, dum hîc sum, cuiquam ista referatis.

Feliciter à corpore migrat in celos. Cap. 50.

Accipit ex-
tremã Vn-
ctionem ab
Eueroolpho
presbytero.

Eius sub
mortẽ præ-
dictiones.
Eucharistiã
percipit.

Obitus eius

Vicesimo & primo die egrotationis suæ, qui erat sabbati dies & vigilia Assumptio- nis gloriose Domine nostre Dei genitricis semperque Virginis Mariæ, vocatis ad se discipulis cum ecclesiæ vicinæ Clericis, sacro oleo voluit inungi, dans confessionem coram omnibus, & omnium preces humiliter expetens. Ait autem ad illos: Cras de resurrectione Domini gaudium erit in celis, & de assumpta Regina mundi, lætitia sanctis Angelis duplicabitur. Christo largiente, tertia quoque materia aderit, unde gaudialia triplicentur. Itaque prohibeo vobis, nè die crastino mihi sepulcrum fodiat, sed in secundam feriam id differatis. Itã enim calitus definitum est, ut in die S. Arnulphi Metensis Episcopi, huius peccatoris Arnulphi corpus terre reddatur. Multa proinde prædixit tam de regni statu, quàm de Episcoporum & principum casibus futuris: quæ omnia etiam itã euenerunt. Sub horam autem vespertinam corpus & sanguine Domini nostri Iesu Christi summa cum deuotione percipit, omnibusque benè precatus, orabat ut sibi quoque omnes benè precarentur: sicque ad requiem adspirans, sanctæ Crucis signo se consignauit, & in ipso Dominicæ noctis ingressu de lectulo se subrigens, in pauimento, cinere & cilicio strato, feliciter obdormiuit, & in regionem viuorum, Domino coniungendus, ingressus est, decimo octauo Calendas Septembris, anno Christi millesimo octogesimo septimo. Postquam obitus eius populis innotuit, mirum dictu, quanta alacritate & deuotione plebs vndique confluens, omnia in circuitu compleuerit, Clericis psalmos concinentibus, alijs pauperum refecionem apparantibus, nonnullis luminaria comportantibus, plerisque omnibus exultantibus, quod tantis exequijs interesse meruissent.

Defunctus porrigit manum, quæ iam obriguerat, ut annulus digito inferatur. Cap. 51.

Præclarum
& illustre
miraculum

Non nesci-
unt sancti
res nostras.

Cumque beati viri corpus pro more compositum, & pontificali habitu ornatum, in templum illatum esset, veritus frater Eueroolphus, nè inter tot promiscuas turbas rapax quispiam aureum annulum à manu eius abstraheret, abstulit illum. Hora autè sepulturæ adueniente, cum vellet annulum digito rursus adiungere, frigida manus & contracti digiti adeo rigebant, ut id efficere non posset. Ea re amor erga illum fidelium indoluit, orabantque cum gemitu, nè Dominus sineret illud sacrum corpus suo cultu carere. Et ecce illis piè conquerentibus, manus dextera à pectore se erigit, digitos displicat & diducit, & annulum digito inferendi magnam præbet opportunitatem. Indè inserto annulo, ad pristinum sese locum retrahit, & digitos, ut antea, intrã volam contrahit. Nemo sanè vnquam possit scripto explicare, quantus amor, quantaque lætitia per omnium mentes peruaserit, cum cernerent hominem Dei, corpore mortuum, viuentis sensum exhibere, & ipsi inferuentium affectu tam piè moueri. Contemplandum certè hîc est, & fideli mente retinendum, quantis laboribus & corporis macerationibus hic Christi seruus eam meruerit virtutis efficaciam, ut etiam membra defuncti gloria miraculorum polleant. Nimirum non gule & ventri seruiendo, nõ opibus aut honoribus aucupandis tale munus à Christo accepit, sed corpus mortificando, mandatis diuinis inuigilando, vera charitati inhaerendo, & in via

via iustitiæ quotidianis augmentis crescendo & perseverando. Cum enim cubile cordis eius, corpore edomito, præclare esset repurgatum, placuit spiritui sancto glorificare glorificantem se, sibi que puram exhibere seruitutem, apud omnes gratiosum, amabilem & laude dignum efficere. Simul autem prudens lector obseruet, quam verax fuerit viri Dei vaticinium, quo multis annis antè prædixerat, funeri eius curando nullum Episcopum vel Abbatem adfuturum, sed per Euerolphum monachum & presbyterum id curatum iri. Talis enim occupatio vicinos Abbates, duos Gandauenses, & vnum Bergensem detinuit, vt quauis sollicitè inuitati, & adesse peroptantes, nullo pacto id possent consequi. Vnde est id admiratione dignum, quod sanctus præsul tanta fuit rerum futurarum prouidentia, tanta sancti spiritus illustratione præditus, vt haud aliter res euenirent, quam ipse prædixisset. Celebratis porro Missarum solennijs, à multis quoque in pauperes distributis largissimis elemosynis, quò die S. Arnulphi Metensium Episcopi feriæ celebrantur, eodem in ecclesia beati Petri Apostoli, huius sancti viri corpus apud Aldenburghenses humatum est in eius basilicæ parte Aquilonari. Postea rogatus Regemarus, sancti Bertini monachus, eiusdem epitaphium composuit:

Miles in hoc mundo, modò puluis in hoc monumento,

Militiam mundi spreuit amore Dei.

Cuius tutela, qua viuatur absque querela,

Primum deuotus Sueffionis monachus,

Et mox angustæ deuotior incola cellæ,

Et per pauperiem, frigus & esuriem,

Atque per insomnes in fletibus & prece noctes,

Virtutum studijs extulit & meritis.

Abba dein factus & præsul, vtrunque coactus,

Quæ dignè subijt, dignius excoluit.

Huc veniens demùm, Domino donante, supremum

Claudens morte diem, transijt ad requiem.

Transitus eius ei prouénit sine diei,

Quam sequitur celebris, orbe colente, dies:

Qua cæli Dominam de mundi valle Mariam

Intulit astricolis calica turma choris.

Præsulis Arnulphi quo festa dies celebratur,

Præsulis Arnulphi corpus humo tegitur.

De miraculis post obitum eius. Cap. 52.

Postquam vir beatus humanis rebus exemptus est, multa ad eius exuias diuinitus sunt miracula declarata, multi morbi & languores curati. Nunc verò ab Oriente & Occidente permulti assidue confluunt, & puluerè eius tumulo propinquè colligentes, ad suos morbidos eum absportant, atque inde salutare remedium illi ce-
leriter obtinèt. In calce libelli mihi meus cudendus est apologeticus, vt quorum relatu hæc didicerim, quibusve vrgentibus hæc scribenda suscipere ausus fuerim, omnibus perspicuum fiat. Primus ex ijs fuit is, quem sæpè diximus, Euerolphus, in eius seruitio perseverans: qui cum præsens res eius certius cognouisset, mecum Aldenburghi manens ad dies aliquot, cuncta, quæ nouerat, mihi in cera exaranti, ordine enarrauit. Alter Arnulphus, sancti viri ex sorore nepos, & prius Abbas Aldenburghensis, quæ ceris impresseram, mihi adiumento fuit, vt ea atramento in chartis conscriberem. Tertia denique, soror eius Adzela, quæ illi fuit familiarior, multa de eo nobis indicauit.

Aldenburghi olim ciuitas distans vno militari à Gistella

S. Arnulphi Epitaphium.

Nota mihi vim pulueris, apud eius sepulcrum collecti.

Arnulphus primus Abbas Aldenburghensis, ordinis S. Benedicti.